BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
1 A
25

K. 711.

METHODVS DIALECTICES,

ARISTOTELICAM doctrinam capeſsentibus apprimè utilis.

Guilhelmo Lapidano Ver-uiacenſe autore.



LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM,
1542

14.20 C.26
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
14.20 C.26

ADMONITIO GVILHELMI *Lapidani ad obtrectatorem.*

In durum lapidem quiſquis ſua ſpicula torquet,
In caput ipſius ſæpe retorta cadunt.
Zoile ne tentes Lapidani tangere muros,
Ne tete calamo tangat & ipſe ſuo.

IVLII CAESARIS SCALIgeri *ad Guilhelmum Lapidanum de erudita eius Dialectica cum apoſtrophe ad Syluium filium.*

Candide ueridici præſtans reparator honoris
Lapidane, præſes aureæ iuuentutis,
Perge, decus linguæ, magnis componere fatis
Animos onuſtos barbariſſimis nugis.
Non potes è patrio melius deducere cœlo
Decoris ruentis ſarta tecta, fulturas:
Quàm ſapientis opes modicis includere ſeptis,
Quibus explicantur inſolubiles nexus.
Quis putet hunc animum miro candore nitentem
Trucis expedire garrulos modos rixæ?
Expedit: ac puro de pectore fortis anhelat
Rutilos & ignes ueritatis, & lucem.
Te fortaſſe patrem decuit ſpectare, ſed olim:
Lapidanus unus nunc tuendus eſt, Sylui.

IOANNES CARVINVS CANDIDO LECTORI S.

ANIMADVERTENS *Guilhelmus Lapidanus uir in cognitione Philoſophiæ omnibus numeris abſolutus, peßimè hactenus reipublicæ literariæ conſultum fuiſſe, ob nimia quorundam Sophiſtarum nugamenta, his contractioribus noctibus ex penetralibus, & intimis Peripateticæ Philoſophiæ locis, inſtar apum, collegit ſuauißimos quoſque flores Dialecticarũ præceptionum, quibus ornentur animi, hac arte tincti adhuc tenuiter. Nec alia ſanè conſilij eius ratio fuit, niſi ut amantißimos, & obſeruantißimos ſui quantulocunq; munere demereretur. Hæc ſanè talia non ſunt, quibus miſera iuuentus hucuſque ludificata eſt, & ueluti quibuſdam furijs exagitata: ſed quæ Demoſthenis lucernam oleant, & demorſos ungues penitus ſapiant. In his enim Methodum ſuam ad Logicen Ariſtotelis accõmodare contendit, dum quæcunq; tractantur, ad ea intelligenda deſtinat, quæ Peripateticorum princeps quãdoq; arduè, & ſubobſcurè docet. Et quamuis in analyticis & nonnullis alijs in locis hæc uideri poßint tradita, longè tamen ampliore elucubratione indigent: quemadmodum id unum, hoc quamuis exiguo opuſculo iudicabitis, multo aptius atq; eruditius eſſe obſeruatum, quàm ab ineptißimis, & uerboßißimis Dialecticorum ſimijs, qui pro luce tenebras, pro limpidißimis aquis turbulen-*

tißimas lacunas offunderunt. Neq; tamen reſipiſcere,& aliquando nugis relictis ad ſeria & utilißima animum applicare poſſunt Sophiſtarum admiratores. Queruntur eorum complures ſeſe in Philoſophiæ ſtudio multum olei & operæ ſine ulla fruge conſumpſiſſe: uerùm tacent, ſe riuulis turbidißimis magis, quàm elimi fonte, gauiſos fuiſſe. Quotuſquiſq; eſt eorum, qui uel Ariſtotelis uolumina unquam uiderit, non dicam legerit? Et interim miramur, ſi ſemper noſtri ſimiles inueniamur. Valeant igitur Sophiſtæ fucatæ magis, quàm ueræ eruditionis amici, & ſuas nugas ἐς κόρακας, hoc eſt, ad coruos deferāt. Nimium etenim detrimenti ſtudioſæ iuuentuti attulerunt. Quo enim modo in his Aquitaniæ partibus, ſicut & in cæteris, ingenia diſcentium excoli arte, diligentia, & ſtudio poterunt, niſi purulentis illis ſophiſmatibus tempeſtiuè repudium mittant? Quemadmodum igitur iam ex albo doctißimorum hominum exploſi garruli iſti ſophiſtæ fuerunt: ita & uos hos fugite tanquam Crocodilis & Hydris peſtilentiores, atq; hanc breuem, lucidam, & eruditam in Ariſtotelicam Philoſophiam Iſagogen nocturna, diurnaq́; manu reuoluite. Ita tandem futurum eſt, ut ante paucos menſes ſuauitate Dialectices deguſtata ueſtrum animum experturi ſitis diſcendi quadam incredibili uoluptate delibutum.

Vale.

GVILHELMI LAPIDANI IN METHODVM DIALECTICES PRAEFATIO.

*

IN DIALECTICIS, *ut in reliquis liberalibus omnibus diſciplinis, iuſta docendi Methodus id unum potiſſimum requirit, ut à minutioribus ad exactiora traducatur rudis adhuc, & imbecillis diſcentis animus. Sic enim fiet, ut expeditius, celeriusq; adſurgat ad ipſum apicē eruditionis: ad quem alioqui ſerius perueniret, ſi aut perturbatus fuerit docēdi ordo, aut principio obſcurè ac inuolutè tractata ſint omnia: quēadmodum hac tempeſtate iſtud unū à neſcio quibus male feriatis hominibus fieri comperimus. Videmus paſſim in gymnaſijs literarijs exoriri ſciolos quoſdam, & uerboſos Sophiſtas, qui interim miro quodam ſupercilio tractantes omnia, non ſolùm nullum certū docendi ordinē inſequuntur, uerumetiam præter nugas, quas tractāt, Siculis (quod aiunt) gerris uaniores, teneros animos torquent difficultatibus, & gryphis non neceſſarijs. Quotuſquiſq; exiſtit inter tot examina literatorum, qui nō id genus nugones, iuuētutis impoſtores, ne dicam, derideat, imò publica dignos cenſeat execratione? Si-*

quidem (ut leuiora duntaxat enarrem) dum phanatici iſti & ἀνηθοποίητοι barbarè implicant omnia, potius quàm explicant, prǽterquã plurima (quǽ ſilentio prǽtereo) alia incõmoda, adoleſcentiã triplici afficiunt damno: Primùm ingenia generoſiora frequẽter deterrent à prǽclaris artibus, quas illi cõſpurcant miſerrimè. Deinde fruſtra cõterunt florẽ tenellǽ ǽtatis, ut optimǽ, ita fugaciſsimǽ, quum interim licuiſſet ab eruditioribus prǽceptoribus utiliora diſcere. Poſtremò efficiunt, ut quum ad ſeria uentũ fuerit, inepti potius, quàm inſtructi uideãtur. Quis id non execretur maxime? Non defuerũt hactenus (utinam & hodie abeſſent) qui feliciſsima ingenia neſcio quot ſarcinis Terminorum, Suppoſitionum, Ampliationum, Reſtrictionum mira ſǽuitia onerarunt, ac detinuerunt per quadriẽnium, adeo ut indoctiora reliquerint tandẽ, quàm principiò ſuſceperint. Tractabãt illi de ratione diſſerendi tã incõdite, tam fœdè, tamq; inuolutè, ut definitiones ijs, quǽ definiuntur, ignotiores attulerint: uti dũ finiũt Terminum eſſe ſignum ponibile in propoſitione conſueta tanquã pars eius propinqua. Quis non rectius intelligit Termini nomen, quàm reliquũ, quod Terminum definit? Hǽc omnia (quǽ Parua logicalia uocãt) quũ breuiſsimo tẽporis ſpatio poſſent iuuẽtuti explicari, quorſum tot incaſſum cõſumũtur anni? Quorſum attinet in rẽ maximè perſpicuã tenebras inuehere? perinde quaſi opus eſſet in ſole meridiano accẽdere lucernam. Quapropter cum animaduerterent amici nõnulli domeſtica cõſuetudine mihi cõiuncti, quanta cum iactura purioris doctrinǽ hic tã deteſtabilis error irrepſerit, cũ in multa alia, tũ potiſsimũ in Vaſconum gymnaſia,

frequenter me cohortabantur,& adſiduis,eiſq; intempe-
ſtiuis precibus inſtigabant,impellebátq;, ut in Dialecticis
Latinis,ac luculentius conſcribendis nonnihil priuatæ o-
peræ collocarē. Quorū importunis flagitationibus,dictu
eſt perdifficile,q̄ alacriter fuerim reluctatus non ſemel: tū
q; cōſpiciebā hoc erudito ſeculo id ſæpe factitatū eſſe, &
quotidie fieri à uiris literatiſsimis,quorū ne umbrā quidē
attingo : tum quòd publica literarum profeſsione ſurſum
deorſumq; obuoluto,nullū quidem uel ſcalpendis auribus
ocium mihi relictum ſit. Sed tandem eò res euaſit, ut &
amicorū ambitioſis precibus, & amore prouehēdi iuuen-
tutis ſtudia uictus, aliud licet interim agēs, in meditullio
grauiſsimarū occupationū calamū admouerim ijs conte-
xendis, quæ ad arcana Philoſophiæ Ariſtotelicæ animos
tyrunculorū ſenſim traducāt: nimirum reputans mecum,
quàm multi φιλαυτοὶ,qui ſibi uidentur ingenioſi homines,
ſuis ſummulis male cōſutis officiāt ſæpe, & remoras inij-
ciant ad metā Philoſophiæ tendētibus.Ponūt(bone deus)
quàm ſubtiliter, uti ſibijpſis perſuadent, ad Notabile pri
mum,ſecundum,uel tertiū,ſex Dubitatur,& totidem Ar-
guitur, cum ſuis Solutionibus & Replicis ad primum,&
tertiū, his aſſuentes neſcio quot pannoſas Propoſitiones
cum ſuis Motiuis & rancidis Corollarijs, atque his la-
byrinthis circumuoluunt incautas puerorū mentes. Ego
uerò tale docentium genus, cane & angue peius odi, ut
qui optimis ſtudijs peſsimè uelle uidētur. Quorſum eiuſ-
modi nænias, omniū bonorū ſtudiorū peſtes, inuehunt in
publicas ſcholas politiori literaturæ cōſecratas? Non ui-
deo mehercle, niſi ut ſepultis diſciplinis omnibus melio-

ribus, craſſa illorũ barbaries ubiq; graſſaretur liberius: & illi interim apud ſui ſimiles inſtar ſummorũ uirorum haberentur. Mea equidẽ Dialectica ſcripſi, non profectò iſtis bonarũ literarũ oſoribus, neq; etiã ſummis: ſed ut rudior ætas tractu tẽporis paulatim prouehatur ad ea complectenda animo, quæ Porphyrius de Prædicabilibus uocibus ſcripſit, quæ Ariſtoteles de decẽ Prædicamentis, de Enunciatione, de Analyticis prioribus & poſterioribus, de Topicis & Elenchis. Neq; hic uias. Nominalium aut Realiũ animus eſt tueri. Tueantur illi ſeſe, qui ſe parum tutos ſentiunt. Mihi ſatis eſt quomodocũq; uiã aperuiſſe ad ſublimiora, & ita ſtudioſorum conatibus ſubueniſſe. Philautis iſtis, & ſui admiratoribus relinquo inanem ſui ingenij oſtentationẽ. Mihi autem non eſt in conſilijs, ad acumen oſtentandũ Dialecticã ſuperuacaneis difficultatibus, ac inuolucris reddere ſpinoſam, & tanquã in gyrum circũactam: nimirum cum probe intelligam eam artem repertam eſſe ad rectè ſimpliciterq; iudicandum de ueris & falſis, non ad clamoſas cauillationes phreneticorũ eiulatibus ſimiles. Accipe igitur compendio ſummã huius opuſculi. In primis Terminorum logicorũ interpretationem cum multis ex Ariſtotele depromptis adducemus in medium, deinde Definitionum, mox Diuiſionum, poſtremo Argumentationum rationem pro qualicunq; noſtra portione tractabimus. Atq; ita demum omne ferè Dialectices artificium hoc anguſto libello, compendioſe iuxtà ac lucide complexum habebis. À Dialectices itaque definitione inſtituatur ſermo, ut intelligatur, quorſum referuntur eius præceptiones.

DIALECTICA eſt ars definiendi, diuidendi, & argumẽtandi. Id autem nemo examuſsim efficere poteſt, niſi qui propriam uocabulorum uim penitus perſpectam habeat. Nã quicquid agit Dialectica, ſicuti & cæteræ diſciplinæ omnes, per ſermonem agit: per hunc enũciat, definit, diuidit, & colligit. Cæca igitur eſt Dialectica abſque cognitione Terminorum, quos, ut rudiori captui ſubſeruiatur, licebit uocabula aut dictiones aut uoces more Grammaticorum appellitare, licet apud dialecticos nonnihil inter ea poſſet inueniri diſcriminis, ſi res ad ſeuerum unguem expendatur. Nihiloſecius Termini definitionem adſeremus ex Ariſtotele, quem ubique libenter ſequimur, quamuis per ſe ſatis in aperto eſt, quid ſit Terminus, etiam ſi per definitionem minime explicaretur.

DEFINITIO TERMINI.

TERMINVS eſt in quem reſoluitur propoſitio, ut Prædicatum & Subiectum. Quemadmodum huius propoſitionis, Iuſtitia eſt uirtus: termini ſunt, Iuſtitia atque Virtus, ob id ſanè, quòd in eos, tanquam in partes, principaliter ipſa reſoluatur. Et dicti ſunt in propoſitione Termini ad ſimilitudinem terminorum in agris: nã quemadmodum his ager finitus deſignatur, ita terminis abſoluitur propoſitio: cuiuſmodi ſunt ſimplices in primis & ſignificatiuæ uoces, inter quas præcipuè habentur Nomen & Verbum, nimirum ex quibus propoſitio categorica cõflata eſſe cenſetur. Neq; uerò turberis, ſi præter

ſimplices dictiones & ſignificatiuas, adſtramus & alios terminos non ſignificatiuos, & complexos, & ſyncategorematicos, id facimus hoc potiſsimum conſilio, ut nihil etiam horũ lateat tyrunculos, quos iam decreuimus erudire, & prouehere (ut ſatis ſuperq; expoſita eſt prius noſtra hac de re ſententia) ad Logicen Ariſtotelicam. Atque ob id Ariſtotelis propemodum ueſtigijs inſiſtẽtes, res ab eo mutuabimur, tantùm in definitionibus uerbis utemur ad imbecilliorem captum magis accõmodatis: interim tamen nihil diſcedentes à figura uocum definiendarũ, quibus cæteri uſi ſunt, qui Terminos ſcripſerunt, niſi quòd terſius, cultius, & luculentius ſimus interpretaturi, abiectis iſtorum ſuperſtitioſis, & monſtroſis definitionibus.

Obſeruatio.

Iſtud obiter tantum & ueluti in tranſcurſu ſuffecerit hic admonuiſſe ad prædictam Termini definitionem intelligendam, quid Propoſitio ſit, quid Subiectum, quid Prædicatum. Nam latius hæc declarare, locus alibi ſeſe offeret commodius. Propoſitionem hoc in loco categoricam intelligunt, & dicitur illa, quæ conſtat ex Nomine & Verbo: ut, Virtus dominatur. Nomen priorem partem propoſitionis occupat, quam Ariſtoteles uocat, Subiectum: Grammatici Suppoſitum: ut, Virtus. Verbum poſteriorem partem tenet, quam Prædicatum uocant, Grammatici Appoſitũ, ut Dominatur. Neq; tamen Verbis tantùm utimur, ſed etiã Nominibus, quæ tamẽ Subiectis ſunt adnectenda per uerbũ ſubſtantiuum, quod Copulam uerbalem appellant, quia Prædicatum cum Subiecto copulat: ut, Virtus eſt ſupra aſtra uictrix.

PRIMA DIVISIO TERMINORVM.

Terminus { Mentalis. Vocalis. Scriptus.

Definitio.

TERMINVS *Mentalis nihil aliud eſt, quàm quippiam animo comprehenſum: & uocat Ariſtoteles libro primo Perihermenias, Paſsionem animi: nõ quòd animi affectus, cuiuſmodi ſunt Gaudiũ, Triſtitia, Spes, Metus, & quæ ſunt huius generis, ſint termini mentales: nam huiuſmodi affectiones ſæpe nobis incogitantibus obrepunt: Termini uerò mentales, qui & Animi conceptus nominantur, offerunt animo præſentem cuiuſpiam ſimilitudinem cum deliberatione.*

Appendix.

Conceptus alius dicitur Vltimatus, alius Non ultimatus. Vltimatus eſt, cùm animo perpendimus rem ſignificatam per uocabulũ aliquod, abſq; ipſius uocabuli conſyderatione. Conceptus uerò non ultimatus eſt, cùm de uocabulo ipſo tantùm cogitamus, nihil interim de rei ſimilitudine expendentes. Huc referunt conceptum Reflexum, qui nihil aliud eſt, quàm cum noſtra cogitatio, non directè progreditur in contemplationem rei conceptæ, ſed contrahit ſe in ſuijpſius imaginationem: ut dum cogito me cogitare, dum contemplor me contemplari, quẽadmodum etiam uoluntas ſupra ſeipſam frequenter reflectitur. Poſſum enim uelle aliquid, & rurſus uelle me uelle illud. Ita poſſum quippiam cogitare, & itidem cogitare

gitare

gitare me cogitare illud.

Obſeruatio.

Ex *prædictis facilè colligere eſt, de uocabulis res aliquas ſignificantibus utrunque poſſe formari* Conceptum *&* Vltimatum *&* Non ultimatum: *Vltimatum, inquam, de re ſignificata:* Non ultimatum, *de uoce. Vnde haud ab re dicitur Vltimatus, quoniam non prius conquieſcit noſter intellectus in alicuius dictionis contemplatione, donec ad cognitionem rei ſignificatæ peruenerit, atque hic ultimam ueluti ſedem fixerit, & quieuerit.* Exempli *gratia: Prolata hac uoce* μικροπρέπεια, Microprepia *apud Latinum, ignarum Græcarum literarum, apprehenſa uoce animus auditoris non conquieſcit, ſed in conceptionem rei ſignificatæ cum diſcurſu ſignificationis progreditur.*

Canon.

Nihil eſt in intellectu, quin antea fuerit in ſenſu.

Declaratio.

Nemo quippiam intellectu comprehendere poteſt, niſi ſenſus uel interiores, uel exteriores prius applicentur ad rem aliquam inſcrutandam. Senſus ſunt internuncij intellectus, quorũ miniſterio res omnes ſenſibiles trãſmittuntur in animum: ſicuti per oculos, per aures, tanquã per feneſtellas quaſdam, irrepunt illecebræ rerum aut honeſtarum, aut turpium in noſtrum pectus. Quare omnis humana cognitio à ſenſibus ortum ducit. Nimirum cum ſenſus circa ſingularia uerſentur, unde mens communes imagines, & ſententias in ſe transfert. At de hac re pertractare fuſius, inſtituti eſt grauioris.

Definitio

Definitio.

TERMINVS Vocalis, eſt uocabulũ ore pronunciatum. Terminus ſcriptus, eſt dictio literis effigiata quacunq; in materia, ſiue papyro, ſiue ligno, ſiue ferro, ſiue lapide. De termino uocali, & ſcripto ferè ſubticuiſſem, eò quòd corũ ſignificatio nemini non eſt obuia, niſi mihi deliberatum eſſet, hoc in qualicunq; opuſculo non ſolùm prouectiores ad altiorem Philoſophiæ inueſtigationem ſubrigere, uerumetiam tenuioris captus imbecillitati meipſum, quoad fieri poteſt, accommodare.

Canones. Primus.

Ea quæ ſunt in uoce, ſunt earum, quæ ſunt in anima, paßionum notæ: hoc eſt, natura cuiq; homini loquendi facultatem indidit, non quidem ut aliud ore dicat, aliud animo ſentiat: ſed ut per ſermonem arcana ſui pectoris transferat per aures in animum audientis. Eſt enim oratio mentis noſtræ ſpeculum.

Secundus.

Ea, quæ ſcribũtur, ſunt eorum, quæ ſunt in uoce, imagines: hoc eſt, ſcriptura uerba primo ſignificat.

Obſeruatio.

Mentem primum natura inſtituit, deinde Vocem, poſtremò Scripturam prodidit induſtria humana. Vocem quidem, ut mentis indicem: Scripturam, ut uocis ſupplementum: ita, ut quod uiua uoce exponere nequimus, uel erubeſcimus, id ſcriptis ſignificare poßimus, uel audeamus.

SECVNDA DIVISIO.

Terminus { Significatiuus. / Non ſignificatiuus.

Definitio.

TERMINVS *ſignificatiuus eſt, ex quo poteſt aliquid intelligentiæ deprehendi. Vt dum apud Græcos pronũciatur hæc dictio* ἄνθρωπος, *& apud Latinos* Homo: *& Græco, & Latino quippiã certæ cognitionis per talia uocabula offertur. Et ita de cõſimilibus ad rem aliquã deſignandam impoſitis iudicandum eſt.*

TERMINVS *non ſignificatiuus eſt, ex quo nihil certi intelligitur, ut cùm pueri, aut moriones, aut ebrioſi inarticulatas uoces effutiunt, ex quibus nihil omnino percipitur. Item omnes literæ uel ſyllabæ, quatenus tales, ſunt Termini non ſignificatiui.*

Obſeruatio.

Præpoſitiones, A', Abs, Cum, Clam, itidem multa Pronomina, Aduerbia, Verba, Cõiunctiones, & alterius partis orationis uocabula, referentia uel ſyllabæ uel literæ imaginem, non dicuntur Termini nõ ſignificatiui. Propterea quòd non conſyderantur ut literæ, uel ſyllabæ (quæ tantùm ſunt dictionum partes) ſed ſpectantur tanquã dictiones integræ, ex quibus, ceu proximioribus partibus, oratio perfecta conſtituitur.

TERTIA DIVISIO.

Terminus ſignificatiuus { Naturaliter. / Ad placitum.

Defini

Definitio.

SIGNIFICATIVVS *Naturaliter eſt, qui ſuapte natura quippiam repræſentat citra omnem impoſitionem, idq́; ubiq; locorum, apud uniuerſas totius orbis nationes: ut cuiuſq; rei cõtemplatio, item unaquæq; uox, aut res quælibet ſuijpſius imaginem naturaliter ingerit omnium intellectui. Quandoquidem ad rei cuiuſq; nobis obiectam ſimilitudinem cognoſcẽdam nulla opus eſt arte, res ipſa ſatis euidenter ſuam ſpeciem commonſtrat omnibus, & offert communi ſenſui naturæ*. Exempli gratia: *Vnaquæque dictio naturaliter, etiam ſi eius ſignificatio minime intelligeretur, ſuijpſius ſimilitudinem inſerit auribus quorumcunque imperitorum. Vt cùm apud linguæ Latinæ ignaros profertur hæc uox Manſuetudo, non intelligitur quidem ab illis res ipſa per huiuſmodi uocem ſignificata: ſed quoniam percipitur uocis figura, certè uox ipſa ſignificat ſeſe naturaliter. Quemadmodum de rebus ipſis apertè etiã conſtat: cùm enim uideris multos equos, circũfers animo impreſſam imaginẽ equi, & tanquam pictum ſimulachrum, ut ubiq; gentium agnoſcas equum.*

Appendix.

Terminus ſignificatiuus naturaliter, alius eſt ſignificatiuus naturaliter Propriè, *alius* Communiter, *alius* Ex *inſtinctu naturæ.*

Terminus ſignificatiuus naturaliter Propriè, *eſt omnis animi conceptio, quæ omnium rerum cognitionem in ſe peculiariter complectitur, & hoc modo ſoli termini mentales ſignificant.*

Terminus ſignificatiuus naturaliter Communiter, *eſt* qui

qui noſtris ſenſibus ſeſe offert: ut albedo cùm oculis cõſpicitur, deducit nos in ſui cognitionẽ: & quælibet res condita notitiam ſui omnibus ex æquo ingerit.

Terminus ſignificatiuus naturaliter Ex *inſtinctu naturæ, eſt qui apud omnes naturalem quendam duntaxat affectum monſtrat, ut eſt* Dolor, *ut* Gaudium: *cuiuſmodi ſanè ſunt* Gemitus *ægrotantium, inſolentium* Cachinnus, *lugentium* Eiulatus. *Atq; hæ uoces ex naturali diſpoſitione & influxu habent, ut apud quoſcunq; idem ſignificent.* Hanc *diuiſionem, etſi citra ſtudioſorum iacturam potuiſſemus prætermittere: cõſilium tamen erat adijcere: partim ut quæ de his ab alijs tradita ſunt obſcurius, iam demũ clarius intelligantur: partim ut hinc caueat incircunſpecta iuuentus iacẽre fundamẽta* Dialectices *à præceptiõibus tam minutatim diſcerptis, perinde quaſi inſtar picturæ nõ omnia oporteret, principio craſſe, ac rudi ueluti penicillo deſcribere.*

Definitio.

TERMINVS *ſignificatiuus* Ad *placitum eſt, qui certam rem ſignificat, eam uidelicet, ad quam ſignificandam doctiſſimi homines pro ſuo iudicio conſtituerunt, ut ſua uniuſcuiuſq; gentis lingua ſiue loquela, qua quis utitur, quoties alteri uolet internas animi cogitationes aperire.*

Obſeruatio.

Vox *ſignificans ad placitum, ſiue ex impoſitione, non idem apud cunctos mortales ſignificat, ſed apud uarias regiones uariam habet ſignificandi rationem.* Nam, *ut teſtatur* Ariſtoteles *libr.* 1. Perier, *quemadmodum nec literæ*

literæ eædem ſunt omnibus, ſic nec eædẽ uoces: idq; non ob aliud, quàm quòd harum ſignificatio ſit, non per naturam, ſed ad placitum, per cõmunem imponentiũ conſenſum atq; concordiam. Exempli gratia: *Animal apud Latinos ſignificat ſubſtantiam animatam ſenſibilẽ: apud Græcos nihil prorſus. Atque ita ſanè iudicandum eſt de omnibus uocibus diuerſorum idiomatum: quæ ut uaria ſunt, ac magno diſcrimine inter ſe diſsidentia, ita & unaquæq; natio peculiaria ſibi uendicat uocabula, alijs regionibus minimè cõmunia: Gallus ſuam habet phraſim, Vaſco ſuam, Hiſpanus ſuam, Flander ſuam, Italus ſuam, & ita de reliquis.*

Appendix.

Non eſt diſſentaneum eandem uocem ſignificare ſimul & Naturaliter & Ad placitum, dummodo ad diuerſa fiat relatio. Verbi cauſa: iſta uox Homo, *linguæ Latinæ perito rem certam, hoc eſt, ſubſtantiam rationalem ſignificat, quod eſt ſignificare ad placitum: eiuſdem uerò linguæ imperito dũtaxat offert natiuam uocis ſimilitudinem, quod eſt ſignificare naturaliter.*

QVARTA DIVISIO.

Terminus ſignificans ſecundum placitum { ſignificat ſine tempore. / ſignificat cum tempore. }

Definitio.

TERMINVS *ſignificat ſine tempore, qui præter principale ſuum ſignificatũ nullam certam deſignat*

temporis differentiam,neq; præteritũ,neq; inſtans,neque futurum:ut ſunt omnia Nomina *apud* Logicos.

TERMINVS *ſignificat cum tẽpore,uel (ut alij uolunt) cõſignificat tẽpus, qui præter principale ſignificatum deſignat certam quãdam temporis differẽtiam, uel præteritum,uel inſtans, uel futurũ:ut ſunt* Verba *omnia.* Exempli *gratia :* Curro*, principaliter ſignificat curſum: ſecundo uerò loco præter huiuſmodi ſignificatum præcipuum, deſignat curſum confici tempore præſenti. Sic de alijs temporum differentijs cenſendum eſt.* Quare *præter rem non fuerit iſtic explicare, quid ſit* Nomen Logicum *& quid* Verbum. Nomen*, eſt uox ſimplex, ſignificans ſecundum placitum,& ſine tempore:ut,*Homo.Verbum*, eſt uox ſimplex ſecundum placitum,& cum tempore: ut,* Currit, Diſputat. Et *hæ duæ ſolæ ſunt orationis partes apud* Logicos,*neq; præter has aliæ exiſtunt: cæteræ uero partes,ut* Coniunctio,Aduerbium,*&* Interiectio *ſunt orationis ueluti aſſumenta quædam, & iuncturæ, ut paulò pòſt enarrabitur.*

Obſeruatio.

Quanquam *ex* Nominibus *ipſis quædam tempus ſignificant, ut* Hora,Dies,Menſis, Annus,*& id genus reliqua: tamen nullum horum ſignificat cum tempore, quẽadmodum cenſet* Ariſtoteles. *Eſt enim aliud ſignificare tempus, & aliud cum tempore.* Significant *illa tempus, quæ principaliter illud ſignificant, quemadmodum* Annus, Hora, Dies, *& huiuſmodi, ex ſua præcipua ſignificantia important tempus ipſum,neq; præter iſtud ſignificatum deſignant præſens,præteritum,aut futurum.*

Appen

Appendix.

Iſtud neutiquam prætermittendum cenſeo, non mediocrem inter quoſdam controuerſiam eſſe de Participijs, an ſignificent cum tempore, & ita, an ſint Verba apud Logicos: an ſignificent ſine tempore, atque ita an ſecundum Dialecticos ſint Nomina. Ratio huius dubitationis hinc uidetur orta, quòd Participia magnam & cum Verbis & Nominibus habeant cognationem, uti declarant ſatis abunde Grammatici, qui aſſerunt à Nomine Participia mutuari Genera & Caſus: à Verbo, Tempus & Genus uerbale, ab utroq; Numerum & Figuram. Verum communiorem, & ſaniorem ſententiam ſequentes, comprehendemus Participia ſub Nomine, firmiter iſtud aſſerentes, ipſa non propriè ſignificare cum tempore, ea uidelicet ratione, qua Verba. Nam Verba ſignificant cum tempore eiuſmodi, quod ſit menſura totius propoſitionis: ut cum dicitur, Petrus fuit amans, Propoſitio iſta menſuratur, ac denominatur, non à tempore per Participium Amans deſignato: Non enim appellatur propoſitio de præſenti, ſed de præterito, propter tempus præteritum per uerbum Fuit, ſignificatum. Itaq; Participium cogitur iuxta qualitatem uerbi adiecti.

QVINTA DIVISIO.

Terminus { Categorematicus. | Syncategorematicus. }

Definitio.

TERMINVS *Categorematicus, eſt uox per ſe ſignificatiua extra orationem: ut, Homo ex ui ſuæ ſi-*

gnificationis deſignat animal rationale, etiam ſi non ingrediatur orationem. Græci hunc terminum uocant κατηγόρημα, *Latini ſignificatiuum.*

TERMINVS *Syncategorematicus eſt uox conſignificatiua: hoc eſt, quæ per ſe nec uniuerſalem rem, nec particularem ſignificat: ſed duntaxat cōſignificat: hoc eſt, cum alijs dictionibus orationem ad ſignificandum ingreditur: ut,* Omnis, Quilibet, Nullus, Aliquis, Quidam, Hic, Ille, Vtinam, Quidem, Apud, Heu, *& huiuſcemodi ſexcēta, quæ uel ſigna ſunt uniuerſalia, uel particularia, uel* Coniunctiones, Præpoſitiones, *&* Interiectiones, συγκατηγόρημα *Græce, Latinè dicitur conſignificatiuum.*

Appendix.

Ex *Categoremate &* Syncategoremate *conflatur mixtus aliquis terminus, ut qui non eſt purè conſignificatiuus, ſed ſimul etiam alicuius rei ſignificatiuus.* Exempli *gratia:* Nihil, *id eſt, nulla res:* Nemo, *id eſt, nullus homo:* Semper, *id eſt, omni tempore:* Omnino, *id eſt, omni modo:* Nequaquam, *id eſt, nullo modo: & ſic de id genus alijs, tum* Nominibus, *tum* Aduerbijs.

Obſeruatio.

Sublatis Categorematis, Syncategoremata expertia ſunt ſignificationis: non ſecus, quàm membrum à reliquo corpore reſectum, exangue eſt, omniq; ſuo uigore deſtitutum, ut ſignū Omnis, *uel* Quilibet, *uel* Aliquis, *quid quæſo deſignaret, niſi cuipiam dictioni ſignificatiuæ adijciatur?* Nihil *profectò. Verùm cùm dicitur,* Omnis homo: *tum homo per additamentū ſigni uniuerſalis induit aliam affectionem, nimirum ut uniuerſaliter ſumatur:* Omnis *enim*

enim non rem uniuerſalẽ, ſed uniuerſaliter eam deſignat.

Alia.

Syncategoremata non ſunt apud Dialecticos alicuius partis orationis (duæ enim tantum aßignantur, Nomen & Verbum) ſed orationis potius ſupplementa ſunt, & tanquam commiſſuræ, non aliter, quàm in nauibus tabulæ. ac trabes ſunt earum iuncturæ.

SEXTA DIVISIO.

Terminus categorematicus { Cognotatiuus. / Abſolutus.

Definitio.

TERMINVS *cognotatiuus eſt, qui ſignificat formam accidentariam alicui ſubſtantiæ adiacentem: ut, Calidum deſignat caliditatem, ſimul & materiam, cui ineſt calor. Huiuſmodi termini cognotatiui cenſentur uoces eſſe quæ à Grammaticis Nomina ſiue Verba adiectiua nominantur: à Dialecticis alijs uerbis licebit appellari, Concreta, uel Denominatiua, quæ Ariſtoteles παρωνυμὰ uocat.*

Appendix.

Ex his elicere eſt, duplex Termini cognotatiui ſignificatum, utpote Materiale, quod ipſum ſubiectum, cui forma inhæret, deſignat: & Formale, quod formam ipſam inhærentem repræſentat, quod Dialecticorum uulgus nominat Cognotatum: ut, Candidum ſignat rem, cui ineſt candor, & candorem ipſum, qui eſt illius rei qualitas, ac forma. Et ſi quis rogauerit, utrum ſignificatum ſit principalius: citra reprehenſionem reſpondebitur, ſignifica-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

tum formale eſſe præcipuum, quamuis id citra iuſtam ra-tionem uocent in dubium, neſcio qui Ariſtotelici ſimij, in ſole ipſo tanquam tenebras quærentes. Siquidem extra o-mnem controuerſiam eſt, Concretũ eius eſſe prædicamen-ti, cuius eſt Abſtractum: ut quoniam color ſub qualitate continetur, ſub eadem complectetur & coloratum. Atq; hinc id inferri poteſt, formam eſſe præcipuam Termini cognotatiui ſignificantiam, eò quòd Terminus cognota-tiuus reponitur in eo prædicamentali ordine, in quo for-ma ipſius.

Obſeruatio.

Alienum non fuerit hic explicare, cur Concreta & Denominatiua uocitentur. Dicuntur Concreta, quoniam ſub eorum ſignificatione concreſcunt duo, uidelicet For-ma inhærens, & Subiectum eam in ſe continens. De-nominatiua quoque appellantur, quòd per ea fit ſubiecti denominatio propter formam: ut, paries dicitur albus ab albedine ſibi inexiſtente. Nam à forma res omnis ſortitur ſuum nomen. Attamen diligenter obſeruandum eſt, ne for-ma illa debilior ſit, quàm ut ab ea res ſuam ſumat appel-lationem. Non enim poteſt Ethiops dici albus ab albe-dine dentium. debet enim forma tam eſſe efficax, ut ſuffi-ciat denominationi totius ſubiecti, etiamſi duntaxat par-ti corporis ineſſet, dummodo tamen ea pars peculiariter huiuſmodi formam ſibi uendicet: ut, Claudicatio tantùm cruribus competit, atque proinde à pedum claudicatione quiſpiam in totum dicitur Claudus: ſicut à Simitate naſi nominatur Simus. Vnde Ariſtoteles locum quendam con-ſtituit, ab Ineſſe ad Denominari, à quo ſic ducitur argu-mentum

mentum, Parieti ineſt albedo, igitur paries eſt albus.

Canon.

Vnumquodq; Subiectum à Forma inexiſtente denominatur.

Appendix.

Forma quoniam non poteſt à Subiecto abeſſe, & permanere illæſa, atq; incolumis, niſi inſit: hinc colligere licet, ad poſitionem Formæ ſequi poſitionem Termini cognotatiui: ut Albedo eſt, igitur album eſt: & ad destructionem Formæ ſequi deſtructionem Termini cognotatiui: ut, Albedo non eſt, igitur album non eſt. In qua quidem argumentandi ratione poteſt ordo inuerti, nempe à poſitione Termini cognotatiui ad eius ſignificati formalis poſitionem: ut, Album eſt, ergo albedo eſt. itidem à remotione Cognotatiui ad remotionem Formæ: ut, Si non eſt album, igitur non eſt albedo. Vnde uulgò à Dialecticis talis regula traditur, Deficiente cognotato Termini cognotatiui, deficit & eius ſuppoſitio: hoc eſt, ſublato eius ſignificato formali, terminus cognotatiuus pro nullo accipitur: ut, Si albedo non eſt, neq; & album quippiam dici poteſt. Tractare impræſentiarum de formis Subſtantialibus & Accidentalibus, item Naturalibus & Artificialibus, non eſt huius inſtituti: magis eſt Phyſicæ ſpeculationis, quàm Dialecticæ: quamuis tamen uix liceat ſæpe euitare, ob tam indiuulſam diſciplinarum inter ſe connectionem, quin interdum cum Dialecticis intermiſceantur & Phyſica, & quæ ſunt aliarum ſcientiarum.

Definitio.

TERMINVS *Abſolutus, eſt ſubſtantiuũ alicui*

adiectiuo correſpõdens & uoce, & ſignificãtia: ut, Albũ *eſt adiectiuum,* Albedo *ſubſtantiuum illi correſpondens, quod apud* Logicos *alio nomine appellatur* Abſtractum *uel* Denominans. *Abſtractum quidem, quoniã ſignificat formam nudam, & quaſi abſtractam à ſubiecto, cui inhærere poteſt: ut,* Albedo *eſt aliena ab eſſentia ſui ſubiecti, accidẽs enim eſt.* Denominans *dicitur, quòd forma accidentaria denominat ſubiectum eſſe tali qualitate præditum: ut,* Doctrina *facit, ut ab ea quiſpiam dicatur doctus, uti ſatis dictum eſt.*

Canon.

Abſtracta accidentium per ſe de ſubſtantia prædicantur minime, niſi ſua concreta: ut, Petrus *non dicitur doctrina, ſed doctus. Coruus non eſt nigredo, ſed nigredine informatus &c.*

SEPTIMA DIVISIO.

Terminus { Perſonalis. / Materialis. }

Definitio.

TERMINVS *Perſonalis, eſt qui pro re ipſa accipitur, ad quam ſignificandam eſt ex prima impoſitione deſtinatus, qui alio nomine dicitur Terminus ſignificatiuè acceptus: ut in hac propoſitione,* Homo *eſt animal,* homo *accipitur perſonaliter.*

TERMINVS *Materialis eſt, qui pro ipſomet uocabulo ſumitur, quatenus eſt alicuius rei ſignificatiuũ: ut in hac propoſitione,* Homo *eſt ſpecies, homo accipitur materialiter.*

Obſeruatio.

Non eſt abſonum unum eundemq; terminum, quoad diuerſas rationes, accipi perſonaliter, ſimul & materialiter, ut lucide conſtat in ſuperiori paradigmate, ubi uox Homo, *ſumitur tum perſonaliter, tum materialiter.*

OCTAVA DIVISIO.

Terminus { Complexus. / Incomplexus.

Definitio.

TERMINVS *Complexus eſt, qui ex pluribus dictionibus ſignificatiuis conſtat, non conſtituentibus unam dictionē, neq; ſimplicis loco acceptis: ut eſt oratio omnis, quemadmodum,* Homo *iuſtus,* Deus *unus eſt.*

Obſeruatio.

Signatè addita eſt haec particula, Non *conſtituentibus unam dictionem: propter dictionem compoſitæ figuræ, quæ tametſi contexantur è pluribus uocibus ſignificatiuis, ſunt tamen una & ſimplex dictio: ut,* Reſpublica, Paterfamilias. *Prætereanon fruſtra adiectum eſt,* Neque *ſimplicis loco acceptis: propterea quòd ob uerborum penuriam ſæpenumero pluribus uocabulis pro uno cogimur uti, ita ut tametſi uoces ſint plures, intellectus tamen ſit ſimplex, & res, quæ ſignificatur, una.* Exempli *gratia:* Corpus *animatum, licet ſecundum uocis figuram ſit complexū, genus tamen eſt unum: ſic &* Quantitas *continua, &* Quantitas *diſcreta.*

Appendix.

Complexum duplex aſsignatur, quoddam Diſtans *&*

quoddã Indiſtans. Diſtans *eſt, inter cuius extrema interijcitur uel Coniunctio copulatiua,uel diſiunctiua:ut,*Homo *& brutum:*Paulus,*uel* Barnabas:*aut copula uerbalis, hoc eſt,uerbum ſubſtantiuum expreſſè uel tacitè poſitum: ut,*Homo *uiuit,homo eſt uiuens.*

Canon.

Nulla uox Complexa*, quatenus eiuſmodi, locum per ſe habet in prædicamento, tametſi eius partes poſſent aut in uno collocari prædicamento : ut ,* Animal rationale *in* Subſtantiæ *prædicamento : aut in diuerſis: ut,* Homo iuſtus:*quarum una,nempe* Homo,*eſt in prædicamento* Subſtantiæ,*&* Iuſtus, Qualitatis.

Definitio.

TERMINVS *Incomplexus, eſt ſimplex aliqua dictio,rem unam ſignificans:ut,*Homo, Virtus.

Obſeruatio.

*Signatè dictum,*Rem *unam ſignificans: propter quædam uocabula in ſpeciem ſimplicia, quæ ſæpe per hypotheſim in diſputationibus pro integris orationibus ſtatuuntur.*

Cautio.

Caue exiſtimes terminum ob id dici Simplicem, perinde quaſi nullis omnino conſtaret partibus. Conſtituitur enim uox quælibet ex Literis*, &* Syllabis*, tanquam partibus ſuis.Sed dicitur Simplex,quoniam non conflatur ex pluribus dictionibus, quarum compoſitio animo noſtro uariam quandam, & complexam ingeneraret cõceptionem. Atq; huiuſmodi terminus in numerum prædicamentorum recipitur. Neq; te mouebit,& ſi quælibet ſimplex dictio,*

dictio, ſe naturaliter ſignificet, & ſuum ſignificatum deſignet ex impoſitione, ob id ſanè non eſt cenſenda complexa. Nam præcipua eius ſignificatio duntaxat eſt attendenda, quæ eſt ex impoſitione, ſecundum quam formatur ſimplex animi conceptio: non autem minus præcipua: quæ eſt ſignificatio naturalis. Nam in unoquoq; negocio conſideratur id, quod eſt præcipuum, ex quo nimirum res ſuam omnem uim recipit. Sequitur enim acceſſorium naturam ſui Principalis.

Animaduerſio.

Iſtud animaduerſione dignum eſt, ex terminis iſtis Complexis & Incomplexis poſſe naſci quandam argumentandi rationem, de qua Ariſtoteles mentionem facit lib. 11. Perier. quã uocat À diuiſis ad cõiuncta, uel econuerſo À cõiunctis ad diuiſa. Per Coniunctum, non propoſitionem coniunctam intelligit, hoc eſt, Hypotheticam, quæ ex duabus orationibus conſtat coniunctione aliqua copulatis: neque etiam propoſitionem Categoricam habentem alterum extremorum aliqua coniunctione contextum, ut Plato diſputat, uel dormit. Sed intelligit propoſitionem Categoricam, cuius alterum extremorum conflatum eſt ex determinatione & determinabili. Contrà per Diuiſum intelligit propoſitionem, in qua ponitur aliqua pars iſtius coniuncti. Vnde argumentari à Diuiſis ad Coniuncta eſt, quoties quæ in diuerſis propoſitionibus prædicantur de ſubiecto aliquo, de eodem etiamnum in una propoſitione dici poſſunt. At hic ſumma opus eſt circunſpectione.

Cautio.

Cautio.

In primis cauendum, ne illa, quæ diuiſim ſecundum accidens prædicantur de aliquo ſubiecto, itidem de ſe mutuo prædicentur ſecundum accidens. Hinc non conſequitur, Petrus eſt albus, & Petrus eſt doctus: igitur Petrus eſt albus doctus. Nam Album, & Doctum, quamuis de Petro rectè dicantur, non tamen inter ſe ullam habent cognationem. Quare ex hoc elicere poteris, quòd ſi accidentia inter ſe conueniant in ratione eſſentiali, quemadmodum ſuperius reſpectu inferioris, tum demum poſſunt ea de eodem prædicari, non tantùm diuiſim, ſed & coniunctim: ut rectè infertur, Petrus eſt muſicus, & eſt doctus: ergo eſt doctus muſicus. Nam Doctum, & Muſicum habent ſeſe, ut genus & ſpecies. Muſicus eſt ſpecies, & Doctus genus.

Deinde cauendum, ne committatur nugatio, hoc eſt, ſuperuacanea eiuſdem dictionis repetitio. Id autem fieret, ſi inter ea quæ diuiſim de aliquo prædicantur, ut de inferiore, poſterius includeretur in priori. Tunc enim ipſa de eodem ſimul & coniunctim non prædicabuntur legitimè. Non enim rectè ſequitur, Petrus eſt homo, & Petrus eſt animal: ergo Petrus eſt homo animal. Siquidem cùm in homine animal includitur, ut genus in ſua ſpecie, fruſtra exprimitur animal in conſequente. Nec ſequitur ob idipſum, Petrus eſt muſicus, & Petrus eſt doctus, ergo Petrus eſt muſicus doctus. Niſi per Emphaſim uelis muſices doctrinam in ipſo exaggerare.

Canon.

Vnde ut rectè argumentemur à Diuiſis ad Coniuncta,

eiuſmo

eiuſmodi regula eſt: Quoties aliqua de aliquo, ut de ſubiecto, in diuerſis propoſitionibus prædicantur, & neque illa prædicata de ſe mutuo accidentaliter dicuntur, neque ex his poſterius in priori directim continetur, hæc de eodem ſimul & coniunctim prædicantur: ut, Petrus eſt homo, & Petrus eſt doctus, ergo Petrus eſt homo doctus. Item, Homo eſt animal, & homo eſt rationalis: ergo homo eſt animal rationale.

Appendix.

Quemadmodum ualidum eſt argumentum à Diuiſis ad Coniuncta, ita à Coniunctis ad Diuiſa: ut bene ſequitur, Petrus eſt homo doctus, igitur Petrus eſt homo & doctus.

Cautio.

Interim hic cauendum eſt, ne ſit repugnantia in adiecto: ut non ſequitur, Petrus eſt homo mortuus, ergo eſt homo: licet ſequatur, ergo eſt mortuus. Neq; ſumatur argumentum per quandam determinationem ampliantem: ut non recte infertur, Homerus eſt aliquid ut poëta, ergo eſt aliquid. Neq; determinatio accipiatur æquiuocè: nō enim ualet conſequentia, Petrus eſt bonus muſicus, ergo Petrus eſt bonus. His omnibus uitijs declinatis, facilimum erit iuxta hanc formam argumentari.

NONA DIVISIO.

Terminus { Vniuocus. / Aequiuocus.

Definitio.

TERMINVS Vniuocus (qui Græcè συνώνυμος dicitur

dicitur) eſt uocabulum, quod ſecundum eandem rationem eſſentialem pluribus attribuitur: ut, Animal ſecundum unam rationem communem attribuitur homini & leoni. In ſumma, Omne Genus eſt uniuocum reſpectu ſuarum ſpecierum, & Species reſpectu ſuorum indiuiduorum: & Differentia & Proprium & Accidens reſpectu eorum, de quibus directim prædicantur.

TERMINVS *Aequiuocus (qui apud Græcos* ὁμώνυμος *appellatur) eſt uocabulum ſecundum diuerſas rationes plura ſignificans: quemadmodum animal diuerſis rationibus ſignificat animal uiuum, & animal pictum: item Polypus, piſcem, & morbum: Canis, terreſtrem, marinum, & cœleſtem: nam canis, quatenus eſt terreſtris, animal eſt, & quatenus cœleſtis, ſydus eſt: itaque diuerſa ratione ſignificat plura.*

Appendix.

Aequiuocum diuidunt in æquiuocum à Conſilio & à Caſu. Aequiuocum à caſu eſt æquiuocum, cuius ſignificata ſunt æquè principalia, cuiuſmodi eſt iſta uox Canis, quæ equè principaliter ſignificat latrabilem, marinum, & cœleſtem.

Obſeruatio.

Non abs re dicitur à caſu, eò quòd fortuitò præter intentionem imponentium contingit, unum uocabulum æquiuocè pluribus accõmodari ſignificatis, quorum unum ſub illo non continetur principalius, quàm alterum: ut, Canis latrabilis non eſt magis canis, quàm uel marinus, uel cœleſtis: ſed omnes licet æquè conueniunt in communi nomine Canis, tamẽ diuerſa ratione, quod ſanè fit caſu quodam

dam & fortuna. Nam impoſitores, dum uocabula inſtituerunt ad ſignificandum, hoc ſibi propoſuerunt, ut ea uocabula deſtinarent certis rebus ſignificandis, idq́; eadẽ ratione, nõ diuerſa. Proinde cùm diuerſis rationibus idem terminus multa deſignat, id profectò eſt caſu quodã præter mentem imponentium.

Aequiuocum à conſilio eſt, quod plura habet ſignificata, non æquè præcipua, ſed alterum principalius, alterum uerò minus principale: idq́; ob analogiam & relationem ſignificati minus præcipui ad principalius ſignificatum. Vt Homo principaliter ſignificat hominem uiuum: & minus principaliter hominis imaginẽ depictam, uel ſculptam, uel fuſam: idq́; ob ſimilitudinem cum uiuo homine, quem refert imago ſecundum lineamentorum protractionem, & diſpoſitionem colorum.

Obſeruatio.

Non temere dicitur æquiuocum à conſilio, quandoquidem ex certo hominum iudicio, atque conſilio profectum eſt, quòd quippiam omnino alienum à genuina rei natura, eodem modo nominetur, ut res ipſa, cuius gerit effigiem. Quemadmodum contemplantes ſtatuam aliquam uel ligneam, uel ſaxeam, referre ſimilitudinem uiui regis in lineamentis, & habitu exteriori, huiuſmodi ſtatuam appellitant regem.

Appendix.

Pleriſq́; appellatur iſtud Aequiuocum à conſilio Analogum, nimirum tanquam iuxta relationem aut comparationem plura ſignificans. Nonnihil tamen inter ea repe ritur diſcrepantiæ. Non enim dicitur aliquod uocabulum

analogum, niſi reſpectu ſignificati minus principalis. Verbi gratia: Homo *non dicitur analogum reſpectu hominis uiui, quem non ſignificat per relationem, aut comparationem, ſed per impoſitionem genuinã. Analogum autem dicitur facta relatione ad hominem pictum, quam non ex propria impoſitione, ſed ex ſimilitudine, comparationeq́; ſignificat. Aequiuocum tamen à conſilio nominatur contẽplatione utriuſq; ſignificati, alterius principalis, & alterius minus principalis.*

Canones. Primus.

Nullum Aequiuocum, quatenus æquiuocũ, poteſt reponi in ullo prædicamento, neq; etiam definiri, neq; & diuidi. Nimirum cum determinatè unum debeant habere ſignificatũ, quæ aut in Categorijs recipiuntur, aut definiuntur, aut propria diuiſione diuiduntur. Nam impropria diuiſione poteſt Canis diuidi in latrabilem, & ſydus cœleſte: uerùm hæc potius enumeratio eſt ſignificationum termini æquiuoci, quàm ipſius diuiſio.

Obſeruatio.

Non eſt diſſonũ aliquam uocem Aequiuocam eſſe reſpectu omniũ ſuarum ſignificationum ſimul ſumptarum, quæ tamen eadem exiſtit Vniuoca reſpectu unius ſignificantiæ ſuæ ab alijs ſeorſim acceptæ: ut canis uniuoca eſt dictio reſpectu canis latrabilis tantùm, aut marini tãtùm, aut cœleſtis tantùm. Nã quælibet uox, æquiuoca ſingula ſua ſignificata unico conceptu, eademq́; ratione deſignat. Itaq; Aequiuocũ ſecundũ unam ſignificationem conſyderatũ in prædicamentis locum habet, & definitur, & diuiditur: Sic enim non ut æquiuocum iudicatur.

Alius Canon uulgaris apud Dialecticos, quem cum ſequenti arbitrabar præterire, niſi & harum rerum imperitis conſtituiſſem me accommodare.

Analogum per ſe poſitum ſtat pro ſuo ſignificato principaliori: hoc eſt, ſi Aequiuocum à conſilio conſiſtit in ſua libertate citra aliquam particulam diſtrahentem ipſum ad ſignificatum alterum minus principale, tunc abſque ulla dubitatione accipietur pro ſuo ſignificato præcipuo, ut cùm dicitur, Plato diſputat in ſua academia, extra omnem controuerſiam eſt, Platonem hîc accipi pro Platone uiuo, non pro eius imagine picta, uel ſculpta, uel impreſſa.

Tertius Canon Sophiſtis potius accommodus.

In Aequiuocis à cõſilio talia ſunt ſubiecta, qualia permittuntur ab eorum prædicatis: hoc eſt, quoties à parte prædicati ponitur minus principalis ſignificatio Aequiuoci à conſilio occupantis locum ſubiecti, tum demum ſubiectum ipſum accipietur pro eo, pro quo ſumitur prædicatum: ut iſtam propoſitionem, Omnis homo eſt homo pictus, aſſerunt ueram eſſe per hanc regulam, quoniam ſubiecti ſignificatio reſtringitur ſecundum ſignificationem prædicati: & ſic ſenſus eſt, Omnis homo pictus, eſt homo pictus. At quoniam iſta omnia poſteriora ad futilia Sophiſtarum nugamenta pertinent, quàm ad puriorem doctrinam, ſufficit id duntaxat hic monuiſſe, me hanc regulam cæteris adtexuiſſe, ut commonſtrem, quàm ſint fri-

uolæ Sophiſtarum rationes, nihil ponderis, nihil energiæ, nihilq́; ſolidæ habentes eruditionis, cùm ex ſenſu communi unuſquiſq; facile iudicet, abſurdam eſſe, & à uerò alienam propoſitionem hanc, uidelicet, Omnis homo eſt homo pictus. *Quis unquam bonorum autorum iſtam, ut ſophiſtæ, interpretatus eſt, ut hunc ſenſum habeat,* Omnis homo pictus, eſt homo pictus? *niſi quis perperam iudicauerit, nullum ponendum eſſe diſcrimen inter hominem uiuum, & eundem depictum.*

Quartus Canon.

Aequiuoci non debet eſſe uſus in diſciplinis, niſi fuerit diſtinctum. Cuius ratio eſt: Quandoquidem æquiuoçum indiſtinctum (ut dici ſolet) ordinem perturbat, & parit confuſionem, quæ communi doctiſſimorum conſenſu à diſciplinis procul arcenda uenit.

DECIMA DIVISIO.

Terminus { Tranſcendens. / Non tranſcendens.

Definitio.

TERMINVS *Tranſcendens eſt uox, quæ omnia rerum genera ſua ſignificatione ambit. Sunt autem ſex* Tranſcendentia, *iuxta communem* Dialecticorum *ſententiam (licet* Valla *ſolum dictionem* Res *pro tranſcendente ponat, in quam cætera reſolui adſerit) nempe* Ens, Vnum, Verum, Bonum, Aliquid, & Res. *Nam quicquid ſubſiſtit, ſiue per ſe, ut* Subſtantia, *ſiue in alio, ut* Accidens, *eſt quicquid horum eſt.* Neque *tamen hæc tranſcendentia cenſenda ſunt, eſſe generaliſſima, nimirum cùm de*

ſubſtan

ſubſtantia & accidente prædicentur æquiuocè. Alia eſt ratio Entis, quoad ſubſtãtiam: & alia ratio Entis, quoad accidentia. Ens quoad ſubſtantiam, eſt quipiam per ſe ſubſiſtens, neutiquam indigens alio, ut ſit. Ens uerò quoad accidentia, dicitur quippiam accidentaliter alteri inhærens, neq; exiſtere potens, niſi inhæreat.

Obſeruatio.

Alienum nequaquam fuerit obiter hic admonuiſſe, cur quicquid exiſtit in rerum natura dicatur Vnum, Verum, Bonum, Aliquid: licet hæc adamuſsim pertractare alterius ſit diſciplinæ. Vnum dicitur quicquid eſt: non quòd nihil ſit diuerſæ inter ſe naturæ (id enim falſum eſt, cùm multa ſint naturæ diuerſæ: ut, Homo, & Lapis) ſed Vnũ dicitur participatione illius, quod eſt ſumme Vnum: quod ut ſummè ſimplex eſt, ita multitudinis omnino eſt expers, & ſine quo omnia in multitudinem cadunt, ut Numeri omnes à prima numerorum origine procedentes. Omnia igitur unitatis naturam retinent & nomen, quatenus primi Entis, quod excellentiſsimè eſt Vnum, ueſtigia ſunt & imagines, illiusq; unitatem participant: Primum tamen illud Vnum ſimplex eſt unum, inferiorum autem rerum unitas eſt multiplex, aut multitudo una. Quemadmodum cernere eſt in hac pulcherrima rerum conditarum diſpoſitione, quanta unione ac concordia inter ſe coaleſcant quatuor elementa ex contrarijs mixta qualitatibus. hæ etenim tametſi diſcordes, in eodem animalis corpore concordi harmonia coniunguntur. Nimirum has tam inter ſe pugnaces conciliauit ſibi mutuo natura illa ſumme una, quæ imperueſtigabili ſuo conſilio

hanc rerum omnium diſcordiam uoluit eſſe concordem, & concordiam diſcordem. Vnde diſſoluta hac admirabili rerum etiam pugnantium concordia, uniuerſitatem rerum interire neceſſe eſt: ſicuti in corpore humano dum primarum qualitatum temperatura dirempta eſt, & exhauſtum eſt humidũ radicale à ſicco immoderatiori, calidum à frigido, iam protinus corpori ſua uita adimitur. Quamobrem? Certè non ob aliud, quàm quòd humores naturales ab unitate recedunt. Proinde ut quippiam firmum & incolume ſubſiſtat, in ratione unitatis ſeſe continere oportet, quo referat exemplar primi & excellentiſsimi unius. Nam ab ſupremo Vno habent omnia, quòd ſint Vnum: Et quò quippiam ſumme Vni propinquius eſt, eò magis dicitur Vnum. Quare non temere collocant Vnum inter tranſcendentia. Nam teſte Ariſtotele, idem eſt Ens & Vnum, ut Ens homo, & Vnus homo. Sicut omne principium eſt cauſa, & omnis cauſa principium: ita omne Ens eſt Vnũ, & omne Vnum eſt Ens. Nec unum alteri alicuius generatione abeſſe poteſt, aut cuiuſpiam corruptione, ſed ſimul ſunt, & non ſunt: Vt cùm primùm aliquid eſt Ens, protinus eſt Vnum: & cum eſt Vnum, itidem eſt Ens. Ita cùm quid Ens eſſe deſinit, & Vnum aboletur. Et quemadmodum unumquodq; per ſuam ſubſtantiam eſt Ens, ita & per ſuam ſubſtantiam eſt Vnum. Non enim quicquam Vnum eſt per affectionem quandam diſpoſitionem'ue ei inexiſtentem. Itaque cùm Vnum & Ens diuerſam non nominent naturam, licet ratione differant: conſequens eſt, omnia quæ ſuperſunt, conuenire in natura Entis & Vnius. Præterea quicquid eſt, Bonum eſt

num eſt: idq; ſimilitudine diuinæ bonitatis ſibi inhærente. Nihil enim exiſtit in hac tota rerum uniuerſitate, in quo non reluceant ueſtigia diuinæ bonitatis. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant ualde bona. Itaque Malum, cùm ſit Boni priuatio, non eſt in numerum Entium referendum: nimirum cùm Deus optimus maximusq; nullius peccati ſit autor, quod unicum deteſtatur maximè, iuxta ſcripturam: Odibilis eſt Deo impius, & impietas. Inſuper quicquid eſt, Verum eſt, participatione primi Veri, cui unumquodq; aſsimilatur, quatenus ſubſiſtit in rerum natura. Et quamuis plures ſunt eſſentiæ uel formæ rerum, tamen una eſt Veritas diuini intellectus, ſecundum quam res omnes nuncupantur Veræ: quemadmodum à primo Ente reliqua habent, quòd ſint: alioqui non eſſent, niſi à ſupremo illo Ente, quod eſt independens, ſuam eſſentiam mutuarentur. Vnde teſte Ariſtotele in Metaphy. Eadem eſt diſpoſitio rerum in Eſſe & Veritate. Siquidem Verum non poteſt intellectu concipi, niſi apprehendatur ratio Entis: quod itidem non intelligitur, niſi ſub ratione Veri: quemadmodum refert Ariſtoteles, ab eo quod eſt, uel non eſt, orationem dici Veram uel falſam. Falſum igitur, cùm Vero repugnet, non exiſtit in natura: nõ ſecus quàm impoſsibile, quod neutiquam uim habeat ſubſiſtendi. Quanuis falſum ſit falſum, impoſsibile ſit impoſsibile, tamẽ ſimpliciter non eſt concedendum, Falſum eſt, Impoſsibile eſt: neq; etiam Malum eſt, Priuatio eſt: ſicuti minimè concedendum eſt, Non ens eſt. Senſus enim eſt, Non ens eſt ens: quod dicere eſt abſurdum. Poſtremò quicquid eſt, aliquid eſt, præſertim cùm nullæ priuationes habeant exi-

ſtendi rationem, ut iam dictum eſt: formam enim à materia diſpoliant, quemadmodum cæcitas eſt uiſus priuatio. At altius hæc omnia inſcrutari, Metaphyſicæ eſt contemplationis. Id impræſentiarum ſufficit, quod adduximus, ad eorum inſtitutionem, qui Ariſtotelicam doctrinam capeſſunt. Tantùm iſtud unum nolo prætermiſſum, tranſcendẽtia aliquando fieri non tranſcendentia per additionem negationis: ut Non ens, Non bonum.

VNDECIMA DIVISIO.

Terminus { Metaphoricus. / Allegoricus.

Definitio.

TERMINVS Metaphoricus eſt ſimplex uocabulum, quod à ſignificatione genuina ac propria ad cognatam transfertur: ut, Video, pro Intelligo, Olfacio, pro Suſpicor: & ſexcenta hoc genus alia.

TERMINVS Allegoricus eſt uox complexa, per quam aliud ſignificatur occultè, quàm poſcit propria uerborum ſignificatio: ut, Pedem conferre, pro concertare argumentis. Item Ne detis ſanctum canibus: hoc eſt, ne proſtituas diuinam doctrinam præfractè impijs, & contemptoribus Dei.

Obſeruatio.

Illud animaduerte, Metaphoram in uno uerbo fieri: Allegoriam uerò in tota oratione, & multo uerborum contextu. Vnde Allegoriam perpetuam Metaphoram appellitant Rhetores. Ex his quoniam à Dialecticis elicitur locus à tranſumptione, placuit hic tractare.

Canon.

Canon.

Quicquid alicui conuenit ſub nomine metaphoricè aut allegoricè ſumpto, eidem conuenit, & ſub nomine propriè ſumpto: Vt, Si leo rugiens fugiendus eſt, & diabolus fugiēdus eſt. Item, Si nemini fas eſt tragulam inijcere, neque fas erit dolos alicui ad decipiendum ſtruere, neq; moliri inſidias.

DVODECIMA DIVISIO.

Termini { Conuertibiles. / Non conuertibiles.

Definitio.

TERMINI *Conuertibiles ſunt dictiones categorematicæ, quæ de ſe mutuo poſſunt uniuerſaliter affirmari uel negari: ut, homo & riſibile. Nam quicq́d eſt homo, eſt riſibile: & quicquid eſt riſibile, eſt homo. Itidem quicquid non eſt homo, non eſt riſibile: & econuerſo, quicquid non eſt riſibile, non eſt homo. Cæteri, in quibus non inuenitur huiuſmodi mutua illatio, dicuntur non cōuertibiles.*

Appendix.

Huc referri poſſunt termini Synonymi, qui cum Cōuertibilibus magnam habent cognationem, licet tamen in aliquo diſcrepent. Sunt enim Synonymi, cum diuerſæ dictiones eandem omnino rem declarant, ita ut ad ſignificationem nihil interſit, hoc an illo malis uti: ut, enſis, gladius: ut terra, humus, ſolum, tellus. De his Grammaticos conſule, tantum hic ſatis eſt perfunctoriè admonuiſſe.

Canon.

Cuicunq; conuenit aut diſconuenit unū conuertibiliū,

 eidem

eidem conuenit aut diſconuenit & alterum: ut, ſi aſinus eſt homo, eſt riſibilis: ſi non eſt homo, non eſt riſibilis.

DECIMATERTIA DIVISIO.

Terminus { Primæ intentionis uel impoſitionis. | Secundæ intentionis uel impoſitionis.

Definitio.

TERMINVS *Primæ intentionis, eſt uocabulum, quod ex prima inſtituentium intentione deſtinatum eſt ad rem quampiam certam ſignificandam, ſiue ſubſtantiam, ſiue accidens : Vt ſunt omnia uocabula rebus ipſis indita, quibus in familiari congreſſu uulgus hominum paſſim utitur in exprimendis ſuis inuicē conceptibus. Quemadmodum ſubſtantiæ, quæ eſt* Homo, *ſuum nomen eſt aßignatum, & ipſis rerum accidentibus ſuum impoſitum eſt uocabulum.*

Obſeruatio.

Proinde hæc omnia non immerito dicuntur uocabula primæ intentionis uel impoſitionis, quoniam hæc prima fuit intentio & ſtudium impoſitoribus, ut rebus ipſis & ſubſtantialibus, & aduentitijs ſingulis ſingula inderent uocabula. Poſtea uerò quàm huic primæ intentioni fuit ſatisfactum, & uiderent ijdem neceſſarias fore artes aliquas, per quas diſceremus, & ſciremus rectè uti illis nominibus iam poſitis: hinc illi ueluti iam ſecundo loco intenderunt, ac mente conceperunt, ut in ipſis nominibus ulterius uocabula imponerent, quæ diſciplinis duntaxat inſeruirent

rent. Cuiuſmodi ſunt uocabula, quibus in Grammatica, Logica,& Rhetorica arte utimur. Vnde & ipſa ſecundæ ſiue impoſitionis, ſiue intentionis, nomina tandem dici cœperunt: quæ & à plerisq; Vocabula artis, uel Nomina nominum appellantur.

Definitio.

TERMINVS igitur Secundæ intentionis eſt uocabulum ad diſciplinæ alicuius tractationem deſtinatum: ut in Grammaticis, Nomen, Pronomen, Verbum, Declinatio, & id genus alia: in Dialecticis, Genus, Species, Propoſitio, Syllogiſmus, & conſimilia.

Obſeruatio.

Iſtud animaduerte, non eſſe diſſentaneum eandem dictionem ſecundum diuerſam ſignificandi rationem eſſe uocem pariter & primæ intentionis & ſecundæ: ut, Species ſignificans pulchritudinem, eſt primæ intentionis: & ut eſt unum ex prædicabilium numero, eſt ſecundæ impoſitionis. Iſtud quoq; animaduertendum eſt, uocabula ſecundæ impoſitionis prærequirere primæ intentionis uoces, quarum ea eſſent ſignacula. Vt genus præſupponit animalia, aliáq; per genus tanquam per ſignum repræſentata. Nam imago rei ſubſiſtentiam præexigit, antequam poßit cuiuſpiam imago fieri. Secundæ enim intentiones ſunt ſimulachra & ſigna primarum intentionum.

Canon.

Quando prædicatur uox ſecundæ intentionis de uoce primæ intentionis, mox primæ intentionis accipitur materialiter, ut Petrus eſt indiuiduum. Vnde aſſerunt huiuſmodi prædicationem eſſe extrinſecam, & accidentariam.

Propterea quòd ſignificatum prædicati non eſt in re per ſubiectum ſignificata, nec contrà.

DECIMAQVARTA DIVISIO.

Terminus { Finitus. / Infinitus.

Definitio.

TERMINVS *Finitus eſt cui nulla præponitur negatio: ut,* Homo.

TERMINVS *Infinitus eſt cui contigue præponitur negatio: ut,* Non homo.

Obſeruatio.

Terminus infinitus, cum nihil certi & definiti intra ambitum ſuæ ſignificationis complectatur, pro omni illo accipitur, pro quo non accipitur ſuus terminus finitus: ut, Non homo *uerè dicitur de omnibus alijs in infinitum, excepto homine: quemadmodum lapis eſt non homo, lignum eſt non homo, metallum eſt non homo, &c.* Et *è diuerſo de omnibus in uniuerſum dicitur terminus finitus, de quibus non accipitur ſuus terminus infinitus.* Vt *quoniam* Homo *prædicatur de* Petro, Non homo, *non poteſt prædicari de eodem: hæc enim eſt falſa,* Petrus *eſt non homo.* V*nde inter terminum finitum & infinitum nullum eſt dare medium, ut patet in contradictorijs.* Q*uicquid enim uel ſub ſole uel ſupra ſolem adſignaueris, ipſum ſedet uel non ſedet, ipſum eſt homo uel non homo, lapis uel non lapis, atque ita in ſingulis.* Proinde *ex Ariſtotele figuram excerptam in ſtudioſorum gratiam hoc*

hoc in loco ſubtexuimus, per quā declarantur conſequentiæ à termino finito ad infinitū, & ab infinito ad finitum.

Eſt homo — *Non ſequitur.* — Non eſt homo

Non ſequitur — *Rectè ſequitur* — *Rectè ſequitur* — *Non ſequitur*

Eſt non homo — *Non ſequitur* — Non eſt nõ homo

In termino finito & infinito ſemper ualet ab unius affirmatione ad alterius negationem: & uiciſsim ab unius negatione ad affirmationem alterius: nimirum cum contradictoriæ omnes conſtentur ex termino finito & infinito, quæ nunquàm poſſunt eſſe ſimul ueræ aut falſæ: ut rectè colligitur à termino finito ad infinitum, & contrà, Petrus eſt homo, igitur non eſt non homo: lignum eſt non homo, igitur non eſt homo. Ac rurſum, ſi lapis non eſt homo, igitur eſt non homo: & ſi non eſt non homo, homo ſit neceſſe eſt. Vbi propter cauillationem ſubintelligi poteſt in antece

in antecedente, cum ſit: uel in conſequente, ſi ſit, hoc modo: Si lapis eſt, & non eſt homo, igitur eſt non homo. Vel ſic, Lapis non eſt homo, ergo, ſi ſit, eſt non homo.

Canon.

De quolibet eſt affirmatio uel negatio, de nullo uerò ſimul.

DECIMAQVINTA DIVISIO.

Terminus { Singularis. / Communis.

Definitio.

TERMINVS *ſingularis eſt uocabulum ſignificans rem aliquam ſingularem. Vt Petrus, hæc arbor, Sophroniſci filius: isq́; apud Logicos alio nomine cenſetur Indiuiduum, uel Terminus diſcretus: apud Grammaticos nomen propriæ qualitatis.*

Appendix.

Triplicem terminum ſingularem adſignare non uidetur intempeſtiuum, unum ex impoſitione, alterum ex demonſtratione, tertium ex hypotheſi, ſiue ex ſuppoſitione. Ex impoſitione dicitur, nomẽ proprium, quod ad rem quampiam ſingularem ſignificandam peculiariter eſt inſtitutũ: ut Petrus, Bucephalus, qui erat Alexandri equus. Alter ex demonſtratione eſt, cùm nomen appellatiuum cum pronomine demonſtratiuo ſumitur ad aliquod ſingulare deſignandum. Veluti cùm dicitur, hic homo, illa arbor, iſtud aurum, ego debilis, tu fortis. Tertius ex hypotheſi appellatur, qui ex natura ſuæ ſignificationis eſt quidem uniuerſalis, facta tamen hypotheſi, hoc eſt, præſtituta

ſtituta aliqua conditione, non niſi de uno ſingulari dicitur. Exempli gratia: *Mariæ filius, ex ſe quidem uox communis eſt: quoniam tamen citra dubitationem ullam non niſi uni, nempe* CHRISTO *domino cōpetit, certè iuxta hanc hypotheſin & ſuppoſitionem dicitur terminus ſingularis.* Ita *Abrahæ filius indiuiduum eſt ſuppoſitione eſſet, facta hypotheſi, quòd unicus eſſet Abrahæ filius, ipſe uidelicet Iſaac. Similiter & Bethſabeæ filius, pro Solomone, facta ſimuli hypotheſi, quòd filium unicum genuiſſet Solomonem.*

Obſeruatio.

Iſtud minimè negligendum eſſe cenſeo, Indiuiduum (teſte Porphyrio) conſtare ex quibuſdam accidentarijs proprietatibus, quæ ſimul collectæ nunquàm in alio quolibet ſingulari eædem reperiuntur. Proprietates Indiuiduorū hæ ſolent adſignari, Forma, Figura, Locus, Stirps, Nomen, Patria, Tempus. Vt Petrus ab alio Petro differt, uel forma, uel loco, uel patria, uel ſtirpe, & à Ioanne nomine diſcrepat, alioq́; accidente. Neque gemelli tam ſunt formæ ſimiles, quin inter eos facile reperiatur quicquam diſcriminis, uel quoad mores externos, uel quoad loquendi facultatem, uel quoad id genus aliud, quo alter ſecernatur ab altero. Proprietates itaq; indiuiduorum, cùm ex accidentibus coaceruentur, in alio indiuiduo nunquam eædem inueniuntur. Aliud tamen eſt de natura uniuerſali, quoniam proprietates, quæ in ſe recipit natura uniuerſalis, ſiue generica ſiue ſpecifica, eædem reperiuntur in omnibus ſpeciebus uel indiuiduis ſub genere illo uel ſpecie contentis. Exempli cauſa: Riſibilitas, & flebilitas,

& diſci

& diſciplinæ ſuſceptibilitas proprietates ſunt naturæ humanæ, quæ in omnibus hominibus eædem omnes inueniuntur.

Canon.

Indiuidua, quoniam infinita ſunt, à diſciplinis reijciēda eſſe adſerunt grauiſsimi autores.

Declaratio.

Iſta regula nō eſt ita intelligenda, perinde quaſi in tradendis diſciplinis non utamur ſubinde indiuiduis, uel loco exemplorum, uel ut ſint ſignificata uocabulorum alicui arti peculiarium. Nam cum definitur indiuiduum, ſubijciuntur exēpla, Plato, Ariſtoteles, Vergilius. Attamen dicuntur à diſciplinis reijci, quoniā in ſcientijs non eſt præcipua indiuiduorum cōſyderatio: nimirū cum ea non poſſint eſſe extrema principiorum aut concluſionū, aut aliarum propoſitionū ad diſciplinas pertinentium, quemadmodum hæ propoſitiones non ſunt principia uel concluſiones, Petrus eſt homo, Ioannes eſt animal.

Obſeruatio.

Iſtud quoque non eſt prætereundum, ex terminis ſingularibus contexi ſyllogiſmum, quem Ariſtoteles uocat Expoſitorium, cuius uſus non mediocriter diſciplinis cōducit. Eſt autem ſyllogiſmus expoſitorius, in quo medium eſt ſingulare, & ob id etiam uocant ſyllogiſmum de medio ſingulari. Et fit in tertia figura commodiſsime. Verbi gratia:

Hoc eſt animal,
Et hoc eſt homo,
Ergo homo eſt animal.

Eſt huius

Eſt huius conſequentiæ ratio ſumpta à communi ſenſu. Nam quæ uni alicui conueniunt, illa inter ſe quoque coniuncta ſunt. Neque immerito Expoſitorios ſyllogiſmos uocamus, quia per ſingulares propoſitiones tanquam per exempla exponuntur, magiſq; perſpicuæ redduntur communes propoſitiones. Vnde in his duas argumētandi formas præſcribunt, unam affirmatiuis, alterā negatiuis accommodam.

PRIOR igitur forma, quando loco antecedentis ponuntur duæ propoſitiones ſingulares affirmatiuæ, ſecundum tertiam figuram diſpoſitæ, & ex illis concluſio particularis infertur: Vt, Iudas ſeipſum ſtrangulauit, & Iudas fuit proditor, ergo proditor ſeipſum ſtrangulauit.

Canon.

Quæcunq; de codē ſingulari uerè & affirmatiuè prædicantur, illa de ſe mutuo quoq; uerè affirmantur.

ALTERA forma eſt, quando ex maiore ſingulari negatiua, & minore ſingulari affirmatiua, infertur concluſio particularis negatiua: Vt, Iudas non fuit Iuſtus, & Iudas ſibiipſi mortem conciuit: ergo qui ſibiipſi mortem conciuit, non fuit iuſtus.

Canon.

Quæcunque de eodem ſingulari, alterum in maiore negatiue, & alterum in minore affirmatiue uerificantur, tum in concluſione negatum de affirmato uerè negatur. Nimirum poſito antecedente uero, neceſſe eſt conſequens eſſe uerum.

Habet & hæc conſequentia cauſam in natura poſitam, de qua ſatis eſt ſenſum communem cōſulere. Quando aliquid

aliquid remouetur ab aliquo, id remouetur ab his etiam, quæ illi coniuncta ſunt. Et *hæc ratio docet oportere, ſicut in alijs bonis ſyllogiſmis, ita hic etiam alteram propoſitionem affirmatiuam eſſe, iuxta communem regulam,* Ex *ſolis negatiuis, non rectè colligitur.*

Definitio.

TERMINVS *communis eſt uox ſimplex, quæ multis attribuitur iuxta eandem rationem ſignificandi: ut animal dicitur de homine, equo, leone, boue, & huiuſmodi. homo enim æque animal eſt, atq; leo aut bos.* Vnicam *enim rationem animalis ex æquo participant homo & equus & bos, & ita de ſingulis animalis ſpeciebus.*

Hunc terminum alio nomine licebit appellitare Prædi*cabile, hoc eſt, uocem, quæ alijs uocibus explicandis, accommodatur, uel* Vniuerſale, *uel, ut* Grammatici, *nomen* Appellatiuum, *hoc eſt, per quod alia ſuam appellationem ſortiuntur: ut ſpecies animalis dicuntur animalia.* Et *quoniam hic ſeſe offert commodiſsima occaſio tractandi* Prædicabilia & Prædicamenta, *hanc occaſionem nequaquam prætermittere conſtituimus, quòd eorum cognitionem haud mediocriter conducere uideamus ad intelligendum, quonam pacto uoces communiores diſtinguantur ab anguſtioribus, quod ad diſſerendum non parum refert ſcire: deinde ad peruidendum, quæ uocabula inter ſe cognata ſunt, & quæ aliena, quod ad diuiſiones & definitiones contexendas plurimum prodeſt. Huc enim ſpectat uſus* Prædicabilium & Prædicamentorum. Itaq; *quid ſit prædicabile, ex definitione termini communis liquidò conſtat. Quidnam ſit prædicamentum, poſtmodum ſuo loco*

tracta

tractabitur.

Appendix.

Prædicabilia quinq; adſignat Porphyrius,nempe Genus,Speciem,Differentiam,Proprium,& Accidens.

Primum prædicabile.

GENVS *eſt, quod latius patet, & plures ſpecies ſub ſe cõtinet, de quibus prædicatur in eo, quod quid eſt. Vt percontanti, Quid eſt homo? aptè reſpondetur, Animal: & percontanti, Quid eſt iuſtitia? rectè reſpondetur, Virtus. Nam, Animal ſub ſe continet Aſinum, Aquilam, Hominem, Piſcem. Virtus continet Iuſtitiam, Liberalitatem, Prudentiam, Fortitudinem, & Temperantiam.*

Obſeruatio.

Nihil autem prohibet eandem uocẽ ad ſuperiora relatam, eſſe ſpeciem: ad inferiora, genus. Et hanc uocẽ genus Subalternum appellant: quòd teſte Porphyrio, cum ſit genus, poteſt eſſe ſpecies, dum ad aliud quidem & ad aliud ſumitur. Exempli gratia: Animal ſi referatur ad ſubſtantiam, ſpecies eſt: ſi ad hominẽ, urſum, equum, &c. genus eſt. Ita Virtus ſi referatur ad habitum, ſpecies eſt: ſi ad prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem &c. genus eſt. Hæc uocantur ὑπάλληλα, quòd alijs ſubſint, alijs præſint. Porrò genus ultra quod progreſſus non eſt, Genus generaliſsimum appellant: idq; decuplex ab Ariſtotele adſignatur, Subſtantia, Quãtitas, Qualitas, Ad aliquid &c. de quibus pòſt fiet copioſior ſermo.

Secundum prædicabile.

SPECIES *eſt uocabulum proximum indiuiduis. Vt Homo, Equus, Leo, Aſinus, Pyrus, Pomus &c. Hæc*

ſola eſt, quæ ſecundo prædicabili adnumeratur, quā Specialiſſimam appellant: nimirum quæ in alias ſpecies diuidi non poteſt, ſed tantùm in indiuidua. Reliquæ *autem ſpecies, quæcunq; in medio poſitæ ſunt inter genus generaliſſimum & hanc ſpeciē extremam,* Subalternæ *nuncupantur: quæ interdum & genera eſſe poſſunt, nimirum ad inferiora relatæ.* Vt *ſi* Animal *ad ſubſtantiam uel ad corpus animatum referas, iam animal conſtitues ſpeciem: ſi uerò ad hominem, uel aſinum, ſtatim animal facies genus.*

Canones de Genere & Specie.

Primus.

Ad generis negationem conſequitur & ſpeciei remotio, non contrà. Vt *quod non eſt uirtus, non eſt iuſtitia.* Genus *enim, teſte* Fabio, *ad probandam ſpeciem minimū ualet: plurimum ad refellendam.* Non *enim rectè colligitur affirmatiuè: fortitudo eſt uirtus, ergo fortitudo eſt iuſtitia.*

Secundus.

Ad uniuerſalem affirmationem totius generis, conſequitur affirmatio uniuſcuiuſq; ſpeciei. Vt, *Omnibus ſciētijs operam dare iubemur, igitur &* Dialecticæ. Remo*uetur tamen neceſſario genus, ſi quis ſpecies eius omnes per enumerationem negauerit, hoc modo:* Quod *rationis non eſt particeps, nec brutum, id ne animal quidem eſt.*

Tertius.

De quocunq; prædicatur genus proximum, de eodem prædicātur & ſuperiora. Vt, Quicquid *eſt iuſtitia, idem eſt uirtus, habitus, & qualitas.* Quemadmodum Porphy*rius quoq;*

rius quoq; adſerit: De quibus,inquit, ſpecies prædicatur, de his neceſſariò & ſpeciei genus prædicatur, & generis genus uſq; ad generaliſſima. Hic interim cauendum,ne nobis imponat Homonymia & Polyſemia. Quum dicimus Candidam ueſtem, & Candidum animum: prius Candidum proximum genus habet colorem,poſterius habitum. Vtrunq; tamen continetur ſub genere qualitatis. Similiter quum dicimus, Canem marinum, & Canem terreſtrem, & Canem pro ſydere. Priores duæ uoces differunt ſpecie, quum in animali conueniant: tertia nec cum piſce conuenit,nec cum animali latrabili: tantum eſt ſubſtantia corporea: quanquàm non defuerunt, qui ſtellas iudicarũt eſſe animalia. Fit ſanè,ut iuſtus omnis argumentandi ordo per æquiuocationem & amphibologiam perturbetur.

Quartus.

Remota ſpecie non conſequitur remotio totius generis: ſed affirmata ſpecie, ſequitur affirmatio generis: Vt, Iuſtitia non eſt,igitur Virtus nulla eſt,non ſequitur: niſi Iuſtitiam generatim accipias pro eo, quod omnium uirtutum orbes in ſe complectatur. At Iuſtitia eſt, igitur Virtus eſt, conſequitur, utrobique etiam accepta Iuſtitia pro uirtute particulari à reliquis diſtincta. Nam ab affirmatione ſpeciei ad affirmationem generis eſt ualidiſſimum argumentum,non ediuerſo. Nec ſanè mirum: Siquidem genus uerè prædicatur de partibus ſingulis, & quicquid ſub his comprehenditur: non contrà. Vt quicquid eſt homo,idem eſt animal: at non ſtatim quod eſt animal, idem eſt homo. Habet enim ſpecies, autore Quintiliano, firmã probationem generis,infirmam refutationem. Hæc ratio

uertitur in diuerſum in remouẽdo: quemadmodum prima regula commonſtrat: ut, Quicquid non eſt animal, homo non eſt: ac non ſtatim quod homo non eſt, animal non eſt.

Quintus.

Remotis omnibus ſpeciebus, remouetur ipſum genus. Vt, Iſte neq; Iuſtitia, neq; Prudentia, neque Fortitudine, neq; Magnanimitate, & id genus alijs, eſt præditus, igitur nulla omnino uirtute eſt ornatus, rectè ſequitur. Interim tamen cauendum, ne in ſpecierum enumeratione aliquid prætermittatur, quod ab aduerſario poßit opponi ad infirmandum argumentum. Nam communis eſt omnium ſententia, Ex falſitate unius particularis rectè inferri falſitatem totius uniuerſalis, licet non retro agitur. Vt, ſi falſum eſt, Petrum eſſe uirtutis cultorem: falſum itidem erit, Omnem hominem eſſe uirtutis cultorem. Vnde ad remouendum totum genus, remoueri in uniuerſum debent ſingulæ ſpecies.

Tertium Prædicabile.

DIFFERENTIA eſt forma ſubſtantialis, quæ addita generi conſtituit ſpeciem, atq; eandem ab alijs ſpeciebus diſtinguit. Vt, Rationale additum animali conſtituit hominem, diſtinguens eum à brutis animalibus. Eaq; appellatur uel Generica, uel Specifica, uel Magis propria: ut, Corporeum, Incorporeum, Animatum, Inanimatum, Senſibile, Inſenſibile, Rationale, Irrationale. Et quoniam uerarum differentiarum (nam præter has ab autoribus nullæ aliæ adſignantur) penuria laboramus, in definiendo ſæpe confugimus ad ea, quæ proximè ad differentiæ naturam accedunt, nempe ad proprium: uel ſi hoc

deſtituimur, ad accidentia cum multarum circunſtantiarum congerie:ut, Virtus *eſt habitus mentis, rectæ rationi conſentaneus. Iſtud totum,* Rectæ *rationi conſentaneus, loco differentiæ ponitur.*

Canones. Primus.

A differentia æqualiter infertur & remouetur ſpecies, quam conſtituit. Rectè *enim colligitur,* Si *ſenſibile eſt,animal eſt: ſi ſenſibile non eſt,neq; & animal eſt.*

Secundus.

Cui conuenit genus, eidem non ſtatim conueniunt omnes differentiæ illud genus diuidentes. Non *ſequitur* Petrus *eſt animal,ergo eſt rationalis ſimul & irrationalis.* Bene *tamen ſequitur ſub diſiunctione,*Petrus *ėſt animal, ergo eſt rationalis uel irrationalis.* Nam *ſimul attribuuntur hæ differentiæ alicui, quoties per diſiunctionem inferuntur.*

Quartum Prædicabile.

PROPRIVM *eſt uocabulum ſignificans naturalem quandam potentiam ad aliquam operationem.* Vt,Riſibile *ad ridendum,*Flebile *ad* Flendum, Hinnibile *ad hinniendum.* Idq; *quod perfectiſſima ratione proprium eſt, conuenit uni tantum ſpeciei,& omnibus ſub ea contentis, & ſemper.* Vt *homini* Poteſtas *ſermonis, elephanti* Barriendi *facultas, coruo* Crociendi, *uulpi* Ganniendi, *cani* Latrandi, *gallinæ* Glocitandi, *boui* Mugiendi *potentia competit:& ita de id genus mille.*

Appendix.

Præter *iſtud proprium, quod quartum duntaxat prædicabile conſtituit, alij proprij modi adſignantur.* Eſt

 proprij

proprij genus, quod omnibus ſub ſpecie conſtitutis conuē nit, at non ſolis. Quemadmo dum ignis proprium calefa- cere, ſed calefaciunt & alia: ut, Motus, Vinum, & Aro- mata. Ita nullus eſt ignis, qui non habeat Lucem: ſed non ſolus ignis lucet: Lucent enim in tenebris & Gemmæ quæ dam, & Inſecta, ut lampyrides, & piſces nonnulli, & li- gna quædam putrefacta. Iam ſunt quædam propria non ſpeciebus ſiue formis, ſed nationibus: ut Nigror in Ae- thiope, Candor in Germanis, Perfidia in Pœnis, Militiæ ſtudium in Caribus, Stoliditas in Phrygibus, Lepos in At ticis, Barbaries in his qui ſunt ultra Sileſiam. Item in per ſonis: ut, Periurium in lenone, Blādities in meretrice. De- nique ſunt quædam ſingulorum hominum propria, ut in Catone Seueritas, in Hortēſio Comitas & Elegantia. Hic non eſt animus ſingulas rerū proprietates perſequi, quip- pe herbarum, lapidum, arborum, florum, auium, & pi- ſcium, alterius eſt inſtituti. Sufficit quædam de his leuiter hic tanquam extremo digito attigiſſe.

Obſeruatio.

Non ſunt audiendi, qui Proprium nihil omnino diſcre pare à Differentia adſerunt. Differentia enim ſignificat partem rei ſubſtantialem: ut, Rationale eſt altera hominis pars. Proprium autem partem rei minime deſignat, quin potius naturalē quandā inclinationem, quæ totam aliquā ſpeciē cōſequitur, & effluit ex internis ipſius principijs, hoc eſt, ex Genere & Differentia ſimul coniunctis: quod ſanè paradigmate illuſtrius euadet. Et natura animalis cum rationali qualitate coniuncta effluit neceſſariò natu- ralis quædam propenſio ridendi, loquendi, flendi, & di-

ſcendi,

ſcendi, ita tamen, ut ea propenſio aduentitium quippiam ſit extra rei eſſentiam, neq; eius ſit pars.

Adnimaduerſio.

Quemadmodũ Differentia neq; intẽditur neq; remittitur, ita neq; Propriũ, licet eius actus intẽduntur, & remittuntur. Vt omnes homines ex æquo ſunt animalis rationalia, tametſi cõperimus non omnibus æqualẽ rationis adeſſe uſum. Ita perinde omne genus hominũ eſt riſibile, ac diſciplinæ capax, quamuis alter altero profuſius ſæpe cachinnetur, aut expeditius, alacriusq; omnia intellectu percipiat. Nõ enim minus erat riſibilis ille, quẽ ferunt res omnes humanas defleuiſſe, Heraclitus, quàm fuerit alius ille omnia ridens Democritus. Intempeſtiuus enim aut riſus aut fletus aliunde proficiſcitur, q̃ ex naturali illa proprietate, quæ ex æquo omnibus hominibus ineſt. Euenit enim ob uariam organorũ diſpoſitionẽ, quibus ceu inſtrumẽtis ad ſuas operationes exercẽdas anima utitur. Quẽadmodũ accidere uidemus, quoſdã leuiſſima de cauſa ſolui in ineptiſſimum riſum hinnitui equorum ſimilem, quibus nimirum ſplen contigit petulantior, quoſdam uero modeſtius ſubridere, nempe qui ſplene ſunt duriori.

Canones. Primus.

Ad Actus poſitionem conſequitur poſitio Potentiæ, non contrà. Vt rectè colligitur, Hic loquitur, igitur habet loquendi poteſtatem: ſed non ediuerſo: Hic habet loquendi poteſtatem, ergo loquitur. Fluit enim actus omnis ex agendi potentia, quæ & ſi exiſtit, non protinus eius adeſſe actionem neceſſe eſt.

Secundus.

Ad remotionẽ potẽtiæ ſequitur remotio actus, nõ cõtrà. Vt *bene ſequitur,* Hic *nõ habet loquẽdi poteſtatẽ, ergo nõ loquitur.* Sed *nõ cõtrà,* Hic *nõ loquitur, igitur non habet loquẽdi poteſtatẽ.* Siquidẽ *homini loquẽdi facultatem inſeuit natura, etiã ſi per omnẽ ætatẽ mutum ageret.*

Tertius.

Omne proprium conuerſim de ſua ſpecie prædicatur, non autem de quolibet illius ſpeciei indiuiduo. Nec *ſanè mirum: quoniam quidem cum ex natura ſpecifica dimanet, non ex conditionibus indiuidualibus, in primis quoq; de ſpecie prædicatur, quàm de illius indiuiduis.* Itaq; *licet de ſpecie dicatur conuerſim, ſecus erit de indiuiduis:* Vt *rectè conſequitur,* Omnis *homo eſt riſibilis, ergo omne riſibile eſt homo.* At *non colligitur rectè,* Socrates *eſt riſibilis, ergo quicquid eſt riſibile eſt* Socrates. Tum *enim* Plato *eſſet* Socrates. Nã *riſibilitas* Socrati *nunquàm attribueretur, niſi eidẽ & hominis natura competeret.* Dicitur *enim* Socrates *riſibilis, non quatenus exiſtit indiuiduum, ſed quòd humanitatis eſt particeps.*

Quartus.

Ex *enumeratione omnium indiuiduorũ alicuius ſpeciei ad ipſum propriũ, & ecõuerſo, ualidiſſimũ eſt argumentũ.* Vt *nõ ineptè colligitur,* Socrates, Plato, Ariſtoteles, Seneca, *& reliqui omnes ſingulares homines loquendi facultatẽ habẽt, ergo quicquid loquẽdi habet poteſtatẽ eſt* Socrates, Plato, Ariſtoteles, Seneca, *& id genus alij.* Nec *abs re.* Nam *quemadmodum omnibus ſuis indiuiduis ſpecies ineſt, ita & illis proprium ineſſe cenſetur.*

Quintum Prædicabile.

ACCIDENS eſt uocabulũ ſignificãs quiddã alicui ſubſtãtiæ aduenire, non promanas ex eſſentia ſpeciei: ut, Albedo homini aduenit, neq; eſt de eius eſſentia, neque ex eius eſſentia fluit. Item, Nigror eſt accidẽs Aethiopis, & Corui: Nam iſtis aduenit, neq; ex eorum natura ſpecifica oritur. Poteſt enim (teſte Porphyrio) Coruus intelligi albus, & Aethiops nitens candore. Intelligi, inquam, albus: non quòd re ipſa nigredo ab Aethiope aut Coruo ſeparetur, ſed quòd ea ab illis animo, & cogitatione poſſit abſtrahi citra conſumptionem naturæ ſpecificæ. Nam ſi ab Aethiope & Coruo nigrorẽ abſtuleris imaginatione, nihilominus permanebit Coruus auis, & Aethiops homo, nec ob id ſpecies ipſorũ interibit. Itaq; ſunt quædam accidẽtia (quæ inſeparabilia uocãt) ita ſubſtãtijs inhærẽtia, ut re ipſa nunquã diuellãtur: ut in Cygno Albedo, in Coruo Nigredo, in igni Calor: tamen ratio diuellit, & perpẽdit non eſſe ſubſtantiæ partes Colorẽ, Album, Nigrũ: cùm alijs corporibus aliàs adſint, aliàs detrahantur.

Cautio.

Quanquàm in inſeparabilibus iſtud unũ habet locũ, tamen nulla unquam ratio poterit comprehendere, id ita quoq; ſeſe habere in Differentia, quæ ſpeciem conſtituit, citra corruptionem totius ſpeciei. Vt nemo exiſtit mortalium, niſi forſan inſipiens prorſus & excors, qui iure fateri queat, ſe poſſe animo cõcipere hominem eſſe, atque eundem nõ eſſe rationalem. Non enim poteſt hominis natura ſubſiſtere, ſi ab eo rationalem qualitatem uel cogitatione diſiunxeris. Quonam pacto potes intelligere homi-

nem eſſe, & eum nō eſſe rationis participē? Certe nō magis, quàm ſi rē naturalē ſubſiſtere adſeras ſine forma: nimirum cùm materia & forma ſint duo illa principia, ex quibus coaleſcit rerum omnium naturalium compoſitio, quemadmodum in Phyſicis ſatis abunde declaratur.

Canones.

Quæſtio quid ſit, quærit de Specie ac Genere.

Quæſtio quale ſit, quærit de Differentia, Proprio, & Accidente.

Interea hoc animaduertendum eſt, Genus, Speciem, Differentiam, ſeu Proprium ita eſſe cognata, ut neceſſariò cohæreāt. Quo fit, ut ex his neceſſariæ propoſitiones conficiātur: ut, Homo eſt animal, homo eſt rationalis, homo eſt diſciplinæ capax. Cæterum accidens non neceſſariò cum alijs cohæret, etiā ſi re ipſa ab illis nunquā poßit ſemoueri: ut, Coruus eſt niger: aliud eſt ſubſtantia Corui, aliud accidens. Quocirca in grauibus diſputationibus oculatè perſpiciendum eſt, quid ad rei naturam, de qua eſt controuerſia, proprie pertineat: quid extra cauſſam dicatur. Id autē iudicare poterunt nulli, niſi Generis, Speciei, Differentiæ, Proprij, & Accidentis uim omnem cognitam habeant. Vnde etiam nō mediocriter conducet huc adferre interpretationem Prædicamentorum, in quibus ceu in tabulis cernere licebit, quid ſingulis rebus cognatum ſit, quid peregrinum, ut hinc etiam definitiones & diuiſiones colligantur, quæ in longis controuerſijs non parum adiumenti præſtant, tum ad rerum explicationem, tum ad rationum confirmationem. Nam huc potißimum deſtinantur Prædicamenta, ut ſint ueluti omniū rerum capita, ſub qui

ſub quibus quicquid eſt in hac rerum uniuerſitate, contineatur, & è quibus intelligi detur, quæ ſit peculiaris cuiuſq; rei natura, quis eius ordo, & quonã pacto Subſtantiæ ab Accidentibus, & Accidentia à ſe mutuo ſegregentur. Vt ſub Subſtantia continentur uoces omnes, uel ſubſtantiam incorpoream uel corpoream ſignificantes (dum de uocibus loquimur, de his loquimur gratia rerum) ſub quantitate uoces ſignificantes magnitudinem & multitudinem, & ita de ſingulis cenſendum. Iam aggrediamur definitionem Prædicamenti.

Definitio.

PRAEDICAMENTVM *eſt genus generaliſsimum, ſub quo certi quidam ordines uocum inter ſe cognatarum cõtinentur. Vt ſub Subſtantia Corpus, Animal, Homo, Ioannes. Idq; decuplex ab Ariſtotele adſignatur: nẽpe Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Ad aliquid, Actio, Paſsio, Vbi, Quando, Situm eſſe, & Habere. Quæ omnia ab Ariſtotele Categoriæ, à Quintiliano Elementa, à Seuerino Boëthio Prædicamenta dicuntur.*

DE SVBSTANTIA.

SVBSTANTIA *non immerito inter reliqua prædicamenta primum locum obtinet: nimirum cum Subſtantia, teſte Ariſtotele, ſit natura prior Accidentibus, neq; alia ſubſiſtere poſſent in rerum natura, niſi Subſtantiæ exiſterent, quibus ceu fundamentis quibuſdam & ſuſtentaculis fulcirentur. Sunt enim Subſtantiæ receptacula Accidentium, quæ ſanè nuſquam eſſent, niſi Subſtantijs inhærerent. Vt color non eſſet, niſi Corpus aliquod extaret. Omnis enim color eſt in corpore. Sublato igitur*

omni corpore, remouetur color omnis.

Appendix.

Neutiquam tamen negligendum eſt, inter Subſtantias, quemadmodum inter reliquas uoces, quaſdam eſſe Singulares, quas Primas uocat Ariſtoteles: ut, Petrus, Bucephalus, hæc arbor, &c. Quaſdam Vniuerſales, quas etiam uocitat Secūdas: ut ſunt Species uel Genera Subſtantiæ: quēadmodum Homo, Animal, &c. atq; ob id dictas eſſe Primas ſubſtantias, quoniam accidentia primò & principaliter inhærent indiuiduis ſubſtantiæ, ſecundo uerò loco, & uelut ex conſequenti, ſpeciebus uel generibus ſubſtantiæ, quæ ob idipſum dictæ ſunt ſecundæ ſubſtantiæ, quia accidētia his ſecundariò inſunt: ut, quia Petrus eſt doctus, homo dicitur doctus, & ex conſequenti animal, corpus animatum, corpus, & ſubſtantia.

Obſeruatio.

Hoc peculiare eſt naturæ Subſtantiarum, ſicuti Ariſtoteles refert, ut una eademq; numero ſecundum ſuam eſſentiam, ſuſceptibilis ſit contrariarum qualitatum, idq; iuxta ſui mutationem accidentariam: ut, Petrus nunc calidus eſt, nunc frigidus, atq; ita ſecundum hæc accidentia mutatur, non ſecundum naturam ſuam ſpecificam. Manet enim Petrus ſemper homo, ſiue ſit calidus, ſiue frigidus. Nimirum iuxta communem regulam: Differentia accidentaria non inducit differentiam ſpecificam.

De his quæ ſub ſubſtantiæ prædicamento complectuntur, non infrugiferum me facturum arbitror, ſi figuram ſubtexam, quæ uelut index ſit eorum, quæ hūc referuntur.

Subſtantia

SVBSTANTIA

CORPOREA,

SIMPLEX,
Cœlum,
Elementa,
Ignis, Aër,
Aqua, Terra.

MIXTA,
ex elementis: ut
Fumi, Fulmina,
Metalla ex ſul-
phure, quod ex
pingui aëre fit, & argento uiuo, quod
ex ſubtili terra & aqua concretum
eſt, naſcuntur.

INCORPOREA,
ut, Spiritus,
Angelus,
Dæmon,
Anima.

ANIMATA,

SENSIBILIS,
Animal

Rationale,
Homo,
Petrus.

Irrationale,
Pecus,
Bellua,
Fera, Pi-
ſcis, Auis,
Serpens, Vermis, hæc
pecus, &c.

INSENSIBILIS,
ut, arbor,
herba, fru-
tex, flos,
fructus, &
aroma, fru
menta, &
legumina,
& quæ ſub
his conti-
nentur.

INANIMATA,
ut lapides & gem
mæ, ſicuti Mar
mor, Magnes,
Succinum, Be-
ryllus, Iaſpis,
Corallium, Car
bunculus, &
huiuſmodi mil-
le. Item metal-
la & foßilia,
aurum, argen-
tum, electrum,
æs, orichalcum,
ſtannum, plumbum, alumen, uitrum, ſulphur, minium,
chryſoc

chryſocolla, & reliqua. Item impreßiones ſiue ignitæ, ſiue aëreæ, ſiue aqueæ, ſiue terreæ, ut ſydus uolans, cometes, uapor, pluuia, uenti, terræ motus, halo, iris, & huiuſmodi ſexcenta.

DE QVANTITATE.

SVBSTANTIAE *mox ſuccedit Quantitas, quæ nimirum primum ſubſtantiæ eſt accidens, eam ipſam tribus menſuris dimetiens, Longitudine, Latitudine, & Profunditate: quarum Longitudinem Lineam uocant: Longitudinem ſimul cum Latitudine Superficiem: & has tres dimenſiones inter ſe coniunctas Corpus appellant: uel, ut mallem dicere, Corpulentiam aut Craßitiem. Ex his tribus unam quantitatis ſpeciem conſtituunt, quam Continuam haud abs re uocitant, quoniam eius partes ad aliquod extremum continuantur. Vt Linea fit ex fluxu punctorum in longum: Superficies ex fluxu linearum in latum: & Corpus ex fluxu ſuperficierum in profundum. Has tamen tres dimenſiones exiſtima re ipſa non poſſe à ſe inuicem diuelli, ſed ratio & mens eas ſeparat, & intelligit ad Longitudinis rationem nihil facere Latitudinem: nec de eſſentia Longitudinis eſſe Profunditatem. Sic dirimit eas mathematicorũ imaginatio, cùm interim nuſpiam ſit Longum abſque Lato, & Latum abſq; Profundo. Aliam quandam ſpeciem adfigunt, quam Diſcontinuam, uel Diſcretam appellitant, propterea quòd eius partes à ſe inuicem ſeiunctæ ſunt, atq; diſcretæ, neq; ad aliquod extremum copulantur: Vt, Numerus & Oratio. Exempli gratia: Senarij partes ſunt tria & tria, aut duo & quatuor, quæ ſanè inter ſe diſiunctæ ſunt. Huc è*

Phyſicis de Tempore, quod ad Quantitatem continuam refert Ariſtoteles in Prædicamentis, & ſimiliter Locum, quamplurima poſſemus adducere, niſi ſtaret ſententia, hic non Phyſicum, ſed Logicum præcipuè inſtituere. Iſtud interim minime negligēdum eſt, Quicquid ex ſubſtantijs in partes diſſoluitur, eam ſectionem fieri ex eo, quòd res ea, quanta eſt, hoc eſt, ſubſternitur longitudini, latitudini, ac profunditati: non autem quatenus ſubſtantia eſt. huic enim non eſt proprium in partes diuidi: alioqui & ſpiritus partitioni ſubiecti eſſent. Sed omnis uis partiendi quantitati peculiariter debetur. In quantitatibus omnia continentur, quæ ſignificant uel magnitudinē, uel multitudinem, uel menſuras, uel tempus, uel locos.

DE QVALITATE.

QVALITAS *eſt forma aduentitia, ſecundum quam ſubſtantia aliqua dicitur qualis. Vt ab albedine homo dicitur Albus, à ſcientia Doctus, à uitio Malus uel Improbus.*

Diuiſio.

Quatuor qualitatis ſpecies fecit Ariſtoteles: Ex his prima dicitur Habitus et Diſpoſitio ſiue Affectio. Sed Habitus à Diſpoſitione diſcrepat: quòd Habitus ſit firmior & diuturnior, Diſpoſitio debilior, & magis caduca. Nā Habitus eſt qualitas uel animi uel corporis crebra agendi conſuetudine parta, qua facilius, promptius, expeditiusq́; quippiam agimus: ut ex frequenti diſputandi exercitatione reddimur in diſputando alacres & imperterriti. Diſpoſitio uerò eſt qualitas leuiter acquiſita, per quam ad aliquid agendum non uſqueadeo reddimur expediti et

accom

accommodi. Vt qui uel unam uel alterã Dialectices *præceptionem tantum deguſtauit, non eſt acer futurus diſputator, quòd* Dialectica *cognitione adhuc tenuiter ſit tinctus.* Diſpoſitio *itaq; eſt uia quædam ad habitum:* Habitus *autem eſt ipſius terminus.* N*am* Diſpoſitio *deſtinatur ad* Habitum *(qui teſte* Cice. *eſt animi aut corporis conſtans & abſoluta aliqua in re perfectio) non ſecus quàm imperfecta ad perfecta ordinantur .*Vt *in arte pingendi rudi penicillo depingimus unam uel alteram imagunculam principio, deinde id longa temporis protractione continuamus, ut tandem manus aſſuefacta certius pingat.*Hæc *perfectio artis pingendi dicitur* Græce ἕξις, Latine Habitus*. præexercitamenta reliqua ad hanc artem parandam uocantur* Diſpoſitiones.

HABITVS

- ANIMI,
  - INFVSVS,
  - ACQVISITVS,
    - INTELLECTVALIS,
      - *Theoreticus,*
      - *Practicus.*
    - MORALIS,
      - *Virtus,*
      - *Vitium.*
- CORPORIS,

Declaratio.

Habitus corporis,ut ars palæſtrica,ſaltatoria,gladiatoria, & quæ per corporis exercitium acquiruntur, tamen non ſine applicatione animi.

Habitus

HABITVS *animi infuſus eſt, quem Deus ſua beni‑gnitate infundit mentibus mortalium, cuiuſmodi ſunt* Fi‑*des, Spes, Charitas*. *Itemq; alia ſpiritusſancti dona, quæ apud* E*ſaiam enumerantur, Sapientia,* I*ntellectus, Conſi‑lium, Fortitudo, Scientia, Pietas, & Timor domini.* E*t hi dicuntur* Habitus *ſupernaturales, eò quòd ſupra naturæ ſunt facultatem, neque per noſtrarum operationum exer‑citium noſtris uiribus acquirimus: ſed Deus ipſe per ſpiri‑tumſanctum ea infundit cordibus noſtris.*

HABITVS *animi acquiſitus eſt, qui longo uſu & exercitatione eſt comparatus.* I*s uel* I*ntellectualis, uel Moralis eſt.*

INTELLECTVALIS, *eſt habitus, qui cir‑ca inueſtigationem ueri uerſatur, & intellectum perficit, qui adſignantur eſſe quinq; ex Ariſtotele lib.* VI. E*thico. Sapientia,* I*ntellectus, Scientia, Prudentia, & Ars.*

MORALIS *eſt, qui noſtros mores reſpicit.*

I*ntellectualis, alius eſt Theoreticus, alius Practicus.*

THEORETICVS *eſt, cuius finis conſiſtit in ſpeculatione, ut artes Mathematicæ.*

PRACTICVS *eſt, cuius finis cōſiſtit in actione.*

Moralis, alius Virtus, alius Vitium.

VIRTVS *eſt habitus animi rectæ rationi conſen‑taneus.* E*t eſt quadruplex, Prudentia,* I*uſtitia, Fortitudo, Temperantia, quæ ſunt fontes, ex quibus oritur omnis ho neſtas.*

VITIVM *eſt, quod noſtros mores reddit depra‑uatos: ut,* I*niuſtitia,* I*ntemperantia.*

Hæc ars, hæc ſcientia, hæc iuſtitia ſunt huius catego‑

riæ indiuidua. *Ad hanc ſpeciem quoque refert* Ioannes Murmellius,*uir ut uariæ eruditionis,ita exacti iudicij,nomina magiſtratuum & dignitatum,ut* Pontifex, Epiſcopus,Sacerdos,Rex, Cõſul,Prætor, Cenſor,Aedilis,& *id genus reliqua.*Pauper *item,*Diues, Fortunatus, Infortunatus,Beatus,Felix, Miſer, Nobilis, Ignobilis,Honoratus,& *huiuſmodi mille.*

De ſecunda ſpecie qualitatis.

ARISTOTELES *ſecundam ſpeciem facit,*Naturalem potentiam,uel impotẽtiam. *Naturalis potentia, eſt uis quædam ingenita, qua quicquam robuſtum redditur uel ad aliquid operandũ,uel patiendum: ut inclinatio natiua ad artem quãpiam: quemadmodum nonnullos uidemus ad* Poëticen *natos,alios ad* Muſicen,*alios ad* Philoſophiam,*alios deniq; ad aliud atq; aliud diſciplinarum genus.Iſtæ naturales propenſiones ſunt huius ſpeciei.*

Naturalis impotentia, eſt inſita quædam imbecillitas, qua quicquam debile redditur ad agendũ uel patiendum. Vt quidam languidi & ualetudinarij naſcuntur, adeo ut per omnem uitam eos nequaquã uideas rectè ualere, neq; ex ulla re capere uoluptatem.

Obſeruatio.

Ad hanc ſpeciem potiſsimum referemus omnia commoda uel incõmoda tam animæ quàm corporis à natura tributa,quibus dicimur aut aliquid poſſe,aut non poſſe: quæ animæ ſiue corporis potentiæ uel impotentiæ appellantur. Per animæ potentias in præſentia intelligimus, uires illas,quæ animæ inſunt principaliter, non autẽ alicui

organo

organo corporis: ut, Intellectus, Voluntas, Memoria intellectiua. Per potentias corporis intelligimus eas uires, quæ etſi ab anima proficiſcantur, in corpore tamen ſuas habent ſedes, cuiuſmodi ſunt omnes potentiæ ſenſuum ſiue interiorum, ſiue exteriorum. Item ad hanc ſpeciem deſtinantur omnes propriæ paßiones: ut riſibile, latrabile, hinnibile, mugibile, gannibile, & eiuſmodi alia. Breuiter omnes uires naturales planetarum, ſyderum, elementorum, animalium, plantarum, lapidum, gemmarum, & id genus reliquorum. Vnde ex Ariſtotelis libris de Anima figuram (quam & Murmellius deliniauit) de animæ potentijs, ut ueluti oculis ſint expoſitæ, ſubijcere non grauabor.

Potentia animæ, *eſt uis eius, per quam ad quippiam agendum eſt appoſita.*

- Vegetatiua.
- Senſitiua.
- Appetitiua.
- Motiua.
- Intellectiua.

Vegetatiua.

- *Alendi, qua anima nutrit.*
- *Augendi, qua auget.*
- *Diminuendi, qua minuit.*
- *Generandi, qua ſuum producit ſimile.*

- Senſitiua
  - Exterior
    - *Viſus.*
    - *Auditus.*
    - *Odoratus.*
    - *Guſtus.*
    - *Tactus.*
  - Interior
    - *Senſus communis.*
    - *Imaginatio.*
    - *Exiſtimatio.*
    - *Phantaſia.*
    - *Memoria.*

- Appetitiua
  - *Cupiendi.*
  - *Iraſcendi.*
  - *Volendi.*

Sub his cæteræ potentiæ appetendi, & ſecundum alias animæ ſenſitiuas affectiones ſumptæ comprehendũtur:ut,appetitus amandi,odiendi,ſperandi,fidendi,metue di,miſerendi &c.

- Motiua
  - *Progrediendi.*
  - *Nandi.*
  - *Serpendi.*
  - *Volandi.*

Sub his continentur mouendi potentiæ. Vt, ſaltandi, ſeſe iactandi,uolutandi &c.

Simplex

Intellectiua:
- Simplex apprehendendi.
- Componendi.
- Diuidendi.
- Ratiocinandi.
- Contemplandi.
- Conſultandi.

De Tertia ſpecie.

TERTIA *ſpecies qualitatis ab Ariſtotele adſignatur Paßio & Paßibilis qualitas. Differt hæc ab illa, perinde atq; habitus à diſpoſitione: quòd Paßibilis qualitas dicatur permanentior ac diuturnior, ut dulcedo in melle. Paßio uerò cito euaneſcens, ut Rubor ex uerecundia naſcens, & Pallor ex metu. Neque hic Paßio accipitur pro actionis effectu: tum enim eſſet prædicamentum ab alijs diſtinctum.*

Obſeruatio.

Cæterùm ut in prima ſpecie collocantur ea, quæ noſtra induſtria parta ſunt: & in ſecũda, quæcũq; ad naturales inclinationes pertinẽt: ita in hac tertia ſpecie omnia obiecta, quæ ſenſus mouent: ut uiſum mouet color. Huc colorum ſpecies omnes, item lux ſeu lumen & tenebræ ſpectant. Auditum mouet ſonus, ut uox, murmur, ſuſurrus, crepitus, fragor, ſtrepitus, ſibilus, echo. Olfactum mouet odor, ut ſuauis, & ingratus. Guſtum ſapor, ut dulcis, amarus, pinguis, ſalſus, acris, auſterus, acutus, acidus, ſtipticus. Tactum mouet calor, frigus, humidum, ſiccum, & cognatæ qualitates, glabrũ, aſperũ, graue, leue, molle, craſſum, ſublime, lubricũ, aridum. Ad hunc ſpeciei ordinem

dinem referunt itidem has paßiones, amorem, deſiderium, odium, triſtitiam, timorem, uerecundiam, iram, ſpem, audaciam, ſegniciem, deſperationem, & huiuſmodi, quatenus pro animi concitatis motibus accipiuntur. Id certè nõ abs re dicitur. Etenim ſunt inter has affectiones nonnullæ, quæ iuxta aliam ſignificantiam ſunt alterius ſpeciei. ut Iracundia, ſi ut motio animi intelligatur, qualis eſt in homine irato, affectus dicitur ſeu paßibilis qualitas: ſi uerò pro ea procliuitate accipiatur, qua homines alij alijs magis in hanc motionem proni ſunt, iam qualitas eſt naturalis impotentia. Ita innumera alia, quæ diuerſo ſenſu nunc in hoc, nunc in illo genere collocamus, quemadmodum Corpus, quod & ſub Subſtantia & ſub Quantitate comprehenditur iuxta diuerſam ſignificandi rationem. Itaque quoniam res per ſe ſenſibiles ſub hac ſpecie reponuntur, non infrugiferum me facturum arbitror, ſi de ſenſibili ex Ariſtotele figuram ſubtexam.

Senſibile *eſt obiectum circa quod ſenſus uerſatur.*	Per ſe, *eſt, quod ſuam in ſenſu ſentiendiq́; organo imprimit ſpeciem: ut color in uiſu ſuam imprimit ſpeciem, & ſic de reliquis ſenſibilibus. & hoc ſenſibile eſt huius ſpeciei.*
	Per accidens, *eſt, quod non ratione ſui, ſed ratione alicuius accidentis ſenſum immutat: ſicut campana immutat auditum non ſui ratione, ſed per ſonum, qui eſt eius accidens. & hoc ſenſibile non eſt huius ſpeciei, ſed quartæ.*

Senſibile per ſe	Proprium, *eſt, quod ab unico ſenſu duntaxat percipi poteſt: ut color à uiſu. & iſtud eſt huius ſpeciei, ut diximus.*
	Commune, *eſt, quod pluribus ſenſibus percipitur: ut numerus, magnitudo, tempus, figura, motus, & quies. & iſtud non eſt huius ſpeciei.*

De quarta ſpecie.

QVARTA *ſpecies ab Ariſtotele ſic aſsignatur, figura & circa unũquodq; conſtans forma: & comprehenduntur hic figuræ & formæ accidentariæ omnium rerum, tam artificialium, quàm naturaliũ.* Naturalium *inquam, ut forma ſiue figura hominis, equi, leonis, arboris, auri, argenti, atq; ita in cæteris, quas natura rebus donauit.* Artificialium *quoq;, ut ſcamni, domus, lecti, templi, libri, ueſtis, aliorumq;, quæ ſolo artificio ſunt abſoluta.* De *figuris geometricis ſiue perfectis ſiue imperfectis hic laborioſe tractare, prorſus ſuperuacaneum eſſe ducimus, alterius enim eſt ſpeculationis.*

DE PRAEDICAMENTO AD ALIQVID.

AD ALIQVID *dicuntur* Relatiua, *quorum uis peculiaris eſt potiſsimum ſignificare non rem abſolutam, ſed rem reſpectiuam.* Vt *pater non ſignificat præcipuè hominem ipſum, qui eſt pater (nam ſubſtantia non eſt, ſed accidens) uerùm ſignificat reſpectum paternitatis, qui in hoc homine reſidet, & terminatur ad filium.* Proinde *relationes, non res ipſas ſignificant, quin potius*

rerum inter ſe comparationem. Atque ob id meminerint ſtudioſi, nullum relatiuum exiſtere, quin habeat ſibi correſpondens correlatiuum, ſine quo ne intelligi quidem poteſt, nimirum cum hæc in comparatione & quadã habitudine relationis conſiſtant. Vt nemo pater dici poteſt, niſi filius ſit: neq; filius, niſi ſit pater.

Appendix.

Vnde apud Ariſtotelẽ Relatiua dicuntur eſſe ad conuertentiam, hoc eſt, mutua eſt correlatiuorũ relatio, adeo ut unum prædicetur de ſcipſo cum obliquo ſui correlatiui: ut, quemadmodum pater eſt filij pater, ita filius eſt patris filius. Quare & alia regula ponitur minime reijcienda: Relatiua ſunt ſimul natura, neq; unum natura prius, neq; alterum poſterius eſt: ut dum Socrates incipit eſſe pater, tum incipit quiſpiam eſſe eius filius: neq; quis eſt pater, niſi ſit filius, & ediuerſo.

Cautio.

Vſu profecto uenit, ut homo, qui gignit, prior ſuperſit, quàm qui gignitur. ſed homo ille, cum ſit ſubſtantia, non ut relatio conſyderatur. Pater autem attenditur, non ut ſubſtantia, ſed ut relatio. Proinde ſimul atq; reſpectus filiationis emergit, eodem articulo & naſcitur reſpectus paternitatis: contraq;, dum filius è uiuis diſcedit, moritur pater, hoc eſt, tollitur reſpectus paternitatis, quãuis eius, qui fuit pater, ſubſtantia maneat ſuperſtes & incolumis filio iam extincto.

Canones. Primus.

Poſito uno relatiuorum, ponitur & reliquum: ut, ſi dominus eſt, ſeruus eſt: ſi filius eſt, pater eſt.

Secundus.

Interempto uno relatiuorum, interimitur & reliquũ: ut, ſi filius non eſt, neq; eſt pater, & contrà. Nec mirum, quandoquidẽ relatiuum neutiquam cognoſci poteſt exiſtere abſq; ſui correlatiui exiſtentia.

Tertius.

Si quis definitè nouerit unum correlatiuorum, definitè noſcet & reliquum. Quemadmodũ ſi quis ſcierit, Sophroniſcum eſſe Socratis patrem, iam indubitanter cognoſcit, Socratem eſſe Sophroniſci filium.

Obſeruatio.

Hæc interim obſeruent ſtudioſi, reſpectum omnem inter duo extrema conſiſtere, quorum unum Fundamẽtum uocant, alterum Terminum. Fundamentum dicitur res, à quo oritur relatio. Terminus eſt res, in quam relatio finitur. Neque eſt abſonum, unum ſimul eſſe fundamentum & terminum, diuerſis rationibus: nimirum cum relatiua dicantur, ut præmonui, ad conuertentiam. Verbi gratia: cum dicitur, pater filij pater, Pater hic eſt fundamentum, filius uerò terminus. E diuerſo cùm dicitur, filius patris filius, Filius eſt fundamentum, & pater terminus.

Admonitio.

Ad hunc ordinem pertinent omnia nomina Cognationis & Affinitatis, ut parens, proles, auus, nepos, frater, ſoror, ſocer, gener, & alia huius generis. Item alia nomina cum præpoſitione compoſita, ut condiſcipulus, commilito, conſodalis, coniunx, concolor, conſonus, & alia ſexcenta.

DE ACTIONE.

ACTIO *eſt forma accidentalis, cuius ſimilitudo imprimitur in quippiam ſuæ uirtuti ſubiectũ:ut, Calor ignis calefacit manum ſibi appoſitam. Manus dum ab igne caleſit, accipit ſanè ignis ſimilitudinem, & formam, nempe Caliditatem.*

Appendix.

Actioni ſex partes ſubijciuntur: Generare, Corrumpere, Augere, Diminuere, Alterare, Loco mouere: quæ certe omnes ſunt motus ſpecies. Proinde conſentiunt in hoc Philoſophi, Omnem actionem in motu eſſe, & omnẽ motum in actione ſeruari.

DE PASSIONE.

PASSIO *eſt ſuſceptio formæ ab agente in patiens: ut, Aqua ſuſcipiens formam ignis, hoc eſt, caliditatem, eſt patiens. Vnde fieri non poteſt, ut patiens formam aliquã ab agente recipiat, niſi uirtus agentis dominuetur: neque contrà poteſt fieri, ut agens ſuam uim in quicquam exerat, niſi iſtud agenti fuerit ſubiectum. Vt minutula aqua latum & uiolentum incendium extinguere nequit, propterea quòd aquæ uis imbecillior eſt, & ignis impetus maior.*

Canon.

Agens tantum efficit in agendo, quantum permittit diſpoſitio patientis. Nam (ut illorum uerbis utar) actus actiuorum ſunt in patiente bene accommodato. Quemadmodum doctrina CHRISTI *alijs prodeſt, alijs non prodeſt. Simplicibus, & candidis prodeſt animis: Superbis autem, & uitiatis affectibus nil prodeſt: non Doctri-*

næ uitio,

næ uitio, quæ ſalubris eſt:ſed culpa eorū, qui, ueluti porci margaritas,conculcant tam ſalutarem doctrinam. Reliqua,*quæ ſequuntur,quoniā minutiora ſunt, quàm prolixa tractatione indigeant, in ſuccinctam quandam, quoad fieri poteſt, epitomen contrahemus: quemadmodum & Ariſtoteli non magnæ uſq; adeò curæ fuit de his pertractare.*

DE SITV.

EXPENDENTI *diligenter conſilij rationem, cur ueteres à prædicamento* Relationis, Actionē, Paſſionem, *& quæ ſequuntur diuulſerint, nulla commodior ac iuſtior mihi occurrit ratio, quàm quòd docendi cauſſa id effecerint.* Nam *cùm penè* Relationum *infinita ſit turba, in conſilijs habuerunt prudētiſſimi uiri,in pluribus prædicamentis ceu domicilijs* Relationum *genera includere: ne ſi omnia eiuſmodi nomina in unum congererēt, tanta hac multitudine maneret perturbatus diſcentis animus.*

SITVS *ſignificat poſitionem quandam partium reſpectu totius:ut,*Iacere,Stare,Sedere, Accumbere,Pronum *eſſe,* Supinum *eſſe,* Inflexum *eſſe,* Decliuem,*&* Accliuem *eſſe &c.*

DE PRAEDICAMENTO QVANDO.

QVANDO *ſignificat non tempus ipſum,ſed eſſe in tēpore:* Vt,Hodie,Heri, Cras,Nudiuſtertius, Perēdie, Superiori *menſe uel anno,*Mane,Veſperi *&c.*

DE PRAEDICAMENTO VBI.

VBI *ſignificat non quidem locum,ſed eſſe in loco:* Vt, *eſſe in gymnaſio, eſſe in templo,* Bergis, Veruiaci, Agenni

Agenni,Burdegalæ,Domu,Militiæ,Humi, Ruri,hic,illic, iſtic &c.

DE HABITV.

HABITVS *hic non accipitur quemadmodum in qualitatibus: ſed ſignificat rationem quandam & uſum ueſtiendi,non autem ueſtem ipſam:ut, Armatum eſſe, Loricatum,Togatum,Calciatum,Annulatū,Palliatum &c. De uarijs ueſtimentorum generibus, quæ aut priſcis fuerunt, aut noſtro ſeculo ſunt uſui, grauiter euoluendū eſſe duco Lazarum Bayſium, qui ut uir eſt multarum rerum cognitione inſignis,ita exquiſitè ac ſummo iudicio ueſtiū uocabula explicuit.*

Admonitio.

De Prædicabilibus,ac Prædicamentis,quantum præſenti negocio ſufficiat, ſatis ſuperq; (mea quidem ſententia)dictum exiſtimo. Nūc ſupereſt poſt oppoſitorum explanationem quippiam de Definitione, Diuiſione, Propoſitione, & poſtremo de Argumentatione in ſtudioſorū utilitatem in medium adferre:nimirum ut hincinde dialectices artificium utcunq; omnibus ſit in aperto.

DE OPPOSITIS.

OPPOSITA, *quæ Ariſtoteles appellat* ἀντικείμενα, *quatuor enumerantur,Contraria,Priuatiua, Relatiua,& Contradictoria.*

CONTRARIA *ſunt duæ qualitates eiuſdē generis proximi, quæ maxime inter ſe pugnant: ut, Albedo & Nigror. Et horum quædam ſic inter ſe pugnant, ut non admittant medium: ut, Sanitas & Morbus, Integritas & Debilitas,Diligentia & Socordia. In his rectè*

colligitur

colligitur ab unius negatione ad alterius affirmationem, & contrà: ut, Hic non eſt ſanus, igitur eſt ægrotus: uel, Eſt ægrotus, ergo non eſt ſanus. Alia ut recipiant mediũ, ut Albus & Niger. Neq; in his ſequitur à negatione ad affirmationem. Non enim, ut qui ſtultus nõ eſt, conſequitur eum eſſe ſapientem: ita qui niger non eſt, conſequitur eum eſt album. Poteſt enim eſſe rubidus, pallidus, cinericius, croceus, aut glaucus.

Obſeruatio.

Vtrunq; iſtorum ſub eodem genere ita continetur, ut mutato genere ſoluatur contrarietas. Veluti ſi de uoce aut ſono loquaris, Acuta & Grauis contraria ſunt: ſi de gladijs aut ſimilibus, Acutũ & Obtuſum contraria ſunt.

Appendix.

Sunt rurſus, quæ contraria uidentur, quum non ſint: ut, Amicis benefacere, Inimicis male, uidentur inter ſe pugnare, quum utrunque conueniat in bonum uirum: ſed, Amicis benefacere, & Amicis malefacere, re uera contraria ſunt.

DE PRIVATIVIS.

QVAEDAM *ſibi aduerſantur per priuationem habitus, quæ Græce στερητικά uocantur. Qualia ſunt Videns & Cæcus, Audiens & Surdus, Viuus & Mortuus, & huiuſmodi. Nam priuatio ſignificat abeße formam, quæ adeſſe poterat, ſicut Cæcitas deſignat Viſu carere.*

Obſeruatio.

In numero priuatiuorum ſunt, quæ ſignificant non puram negationem, ſed quippiam ponunt, & tollunt aliquid. Ponunt enim quandam naturalem (ut loquitur uulgus)

gus Dialecticorum) aptitudinem, & tollunt potentiam. Vt Cæcus dicitur, non omne id ſimpliciter, quod non poteſt uidere: nemo enim lapides appellitat cæcos: Sed quod cum ſuapte natura aptum ſit habere potentiam uiſiuam, ea tamen iam diſpoliatum eſt: ueluti Homo, cui uidenti inſita eſt uis, ſi ea iam priuatus fuerit, nemo exiſtit, qui eum non nominet Cæcum. Quædam alia ſunt, quæ non tollunt Potentiam, ſed actum duntaxat: Vt, Tenebræ & Lumen, Somnus & Vigilia, Quies & Motus. Hæc uocantur priuatiua imperfecta, nimirum in quibus à priuatione in habitum facilis eſt regreſſus, ut à tenebris in lucem. Alia uerò quæ tollunt potentiam, dicuntur priuatiua perfecta, nimirum in quibus à priuatione in habitum per naturam nulla ſit regreßio. Vt nemo cæcus reſtituitur ſuo lumini per naturam, licet quandoque ſupernaturali dei beneficio. In his omnibus ualet argumentum, tum ab affirmatione ad negationem, tum ediuerſo à negatione ad affirmationem, dummodo accipiatur ſubiectum capax eorum: Vt, Iſte homo eſt cæcus, ergo non uidet. Contrà, Homo non eſt cæcus, ergo uidet.

DE RELATIVIS.

QVAEDAM ſibi aduerſantur per relationem: ut, Relatiuum & ſuum Correlatiuum, quæ licet mutuam inter ſe habeant relationem, in hoc tamen repugnare dicuntur, quòd nequeant ſimul in idem ſubiectum cadere eiuſdem reſpectu: nemo enim idem Dominus ac Seruus eſt, Pater ac Filius, eiuſdem. Comparatione autem diuerſorum poſſunt relatiua in eundem competere. Vt quiſpiam ſimul poteſt eſſe pater & filius: ſed pater huius, &

ius,& filius alterius. De his ſatis fuſè tractatum eſt in Prædicamentis.

DE CONTRADICTORIIS.

QVAEDAM *ſibi aduerſantur per contradictionem, quæ Tullius appellat Aientia & Negantia. Nec mirum: Conſiſtunt enim in eiuſdem affirmatione & negatione. Dies eſt, non eſt: Videns, non uidens.*

Obſeruatio.

Inter hæc ueluti irreconciliabile bellum eſt, coq; M. Tullius appellat ualde contraria. Reperias enim quod neque ſapiens neq; ſtultum appelles: item neq; mortuum neque uiuum: neq; patrem neq; filium: nihil autem reperias, quod non aut uiuum ſit, aut non uiuum: album aut non album. Ratio eſt: Siquidem contradictoria hoc unum præ cæteris oppoſitis habēt peculiare, ut ſiue res ſuperſtes ſit, ſiue non ſit omnino, unum aut alterum eorum uerum aut falſum eſſe neceſſe ſit. Vt Chimæra eſt uel non eſt. Chimæra non eſt, eſt uerum: Chimæra eſt, falſum cenſetur. Cætera uerò oppoſita prærequirunt ſubiecti, in quod incidunt, exiſtentiam. Nam ſi quid in rerum natura omnino non ſubſiſtit, illud neq; ægrum, neq; ſanū eſſe poteſt: tum neq; mortuum, neq; uiuum: deniq; neq; pater neq; filius. De his quoque diximus in diuiſione termini in finitum & infinitum.

TRACTATVS DE DEFINITIONE.

P*Oſt qualemcunq; terminorū interpretationem, nunc ſuccinctè iuxtà ac dilucidè de Definitione, mox de*

Diuiſione

Diuiſione(quæ duo ſunt Dialectices inſtrumenta)docebimus: nimirum quarum tractationem intelligimus non parum ad rerum naturas explicandas conferre.

Tradiderunt Dialectici duo genera definitionũ:unum quod Definitionem nominis uocant, quæ nihil aliud eſt, quàm ἐτυμολογία uocabuli. Nam Etymologia uidetur habere ſpeciem Definitionis,quòd pleraque nomina ab ipſa rerum natura ſumpta ſunt. Inde enim nomen habet Etymologia, quòd uera ſit,aptaq́; rei nota, quam ſignificat: Vt,Rex dicitur à regendo:Lex ab eligendo, quæ conducunt reipublicæ,reijciens quæ officiunt. Et coniuges uocantur, quòd in lætis pariter ac triſtibus communicãtes, uelut idem ducunt iugum. Hinc eliminandæ ſunt omnes monſtroſæ interpretationes: ueluti nonnulli exponunt: Bernardus,hoc eſt,bona nardus: Lapis,id eſt, lædens pedem: Guilhelmus,quaſi gerens arma, & huiuſmodi mille nugamenta, quæ apud quoſdam omniũ ineptiſſimos, qui inter magnos tamen haberi ambiunt,ſunt in delicijs.

Alterum genus eſt Definitio rei, quæ paucis explicat rei naturam,iuxta rationem ſubſtantiæ,ac formæ ſubſtantialis:Et hæc,quam itidem ſubſtantialem uocant, Philoſophorum maxime propria eſt.

Declaratio.

Subſtantiam hic intellige, non eam,cui opponitur accidens,ſed generalius, ſolidam, ac principalem cuiuſque rei naturam. Non ſolùm enim quærimus, quid eſt homo, uerumetiam quid eſt iuſtitia: non quòd uirtus ſubſtantia ſit: accidens enim eſt: ſed quòd ſub ratione ſubſtantiæ proponatur. Quemadmodum Rhetores quærunt, quid

ſit Status

ſit Status, quid Schema, quid Tropus: Iureconſulti, quid Actio, quid Iniuria: quum nihil horum uerè ſit ſubſtantia. Et tamen ſicut Homini additur rationale, non in eo, quod quid eſt, ſed ſub ratione qualitatis: ita Iuſtitiæ adduntur ſuæ formæ, per quas ab alijs uirtutibus diſtinguitur. Itaque accidentium ſunt definitiones eſſentiales, uel ſubſtantiales: nimirum cùm hoc loco, ut dictum eſt, nomen ſubſtantiæ tribuamus, non tantum, quæ in primo prædicamento collocantur, ſed & quæ in reliquis accidentium prædicamentis.

Obſeruatio.

Ariſtoteles tradit ueram & perfectam definitionẽ conſtare ex genere & differentia ſpeciem conſtituente: ut, Animal eſt ſubſtantia ſenſibilis. Subſtantia eſt genus: Animal, ſpecies: Senſibilis, additur loco differentiæ. Harum differentiarum loco, cùm non multa propria earum nomina extent, plerunq; utimur ijs, quæ proximè ad differentiæ naturam accedunt, ſiue in ſubſtantijs definiendis, ſiue accidentibus, quam accidentium definitionem uocãt Deſcriptionem. Nam nemini dubium eſt, quin unaquæq; res habeat formam propriam, per quam eſt id, quod eſt, & non aliud. Itaq; cum definitur, Virtus eſt habitus moralis rectæ rationi conſonus: Habitus, genus eſt: differentiæ ſunt Moralis: &, Rectæ rationi conſonus. Moralis, inquam, ſecernit uirtutem ab artibus ſeu cognitione: Rectæ rationi conſonus, diſtinguit à uitijs.

Admonitio.

Illud admonendum eſt, in definiendo hanc cautionem eſſe adhibẽdam, ne definitio quadret in aliud, quàm quod

definitur: aut ne definiti uocabulum in aliquid competat, in quod non competit definitio. Veluti ſi dicas, Homo *eſt animal erecto corpore bipes, definitio eſt uitioſa: eſt enim ſimiarum genus quoddam, quod incedit erecto corpore. Ad hæc cauendum eſt, ne inuoluta & obſcura ſit definitio, ſed rem perfectè exprimat, & ueluti oculis ſubijciat. Vt hæc non eſt appoſita definitio hominis,* Homo *eſt arbor euerſa. hic enim hominis natura non explicatur aptè, neq; luculenter.*

Appendix.

Iſtud unum haud parum retulerit prædictis adijcere, Quædam elogia ſiue ſententias eſſe, quæ nonnullam definitionis faciem præ ſe ferant, quum reuera non ſint. Huius generis uariæ ſunt formæ, quarũ nonnullas neutiquam pigebit iſtuc adferre, quo ſtudioſorum conatus ſubleuetur.

Vna, Quum nomen obſcurum exponitur notiore uoce, uidetur etymologiæ ſpecies: ueluti ſi quis Batuit *interpretetur,* Percutit. *paucioribus enim notum eſt, quid ſit* Batuere.

Eſt altera, Quum ex accidentibus fit deſcriptio quæ à Græcis ὑπογραφική *appellatur: ut,* Homo *eſt, quod ad pietatem ac diſciplinas liberales docile eſt.*

Eſt alia, Quum definitionis loco ponitur exemplum: ueluti ſi quis rogatus, Quid eſt ſubſtantia, dicat, Homo, Equus, Lapis, Metallum. *Quod definitionis genus ridetur à Socrate: quum quidam interrogatus, quid eſſet* Virtus, *reſpondit,* Iuſtitia, Prudentia, Fortitudo, Temperantia, *&c. Tum Socrates ſuo more* εἰρωνεύων, Papæ, *inquit, hic nobis pro una uirtute examen uirtutũ producit.*

Præterea

Præterea, Quum per ſimilitudinem fit deſcriptio: ut, Adoleſcentia eſt flos ætatis:Senectus eſt occaſus uitæ.

Fit item ex pluribus coniunctis, quum nullum per ſe ſufficiat:ut, Luxurioſus eſt, qui uictu delicatior eſt,cultu ſumptuoſior,in libidinem effuſior.

Ducitur quoq; à fine diuerſo: ut, Rex eſt, qui in gubernando ſpectat reipub.commodum,non priuatum:Tyrannus, qui ad ſuum peculiare commodum gerit principatum.

Item à cauſis:Dies eſt, ſol ſupra terram: Nox eſt, ſol infra terram.Sonus eſt,duorum corporum colliſio.

Item ab oppoſitis: ut, Damnum eſt lucro contrarium: Pater eſt,qui habet liberos:Filius eſt,qui habet parentem: Mortuus eſt, qui non uiuit. Interdum enim alterum ex oppoſitis eſt altero notius ac magis in confeſſo.

Item & Aenigmata ambiunt in definitionum ordinem recipi:ut,Homo eſt animal,primum quadrupes,mox bipes,deinde tripes:quale eſt Sphingis ænigma,quod Oedipus diſſoluit argutè.

Et ne formas omnes perſequar, quæ infinitæ confingi poſſunt,eſt quæ laudis cauſſa ſumitur:ut,Lex eſt mens,& animus,& concilium,& ſententia ciuitatis.Comœdia eſt humanæ uitæ ſpeculum.Sumitur & à uituperio,qualis eſt illa Platonis, Voluptas eſt eſca malorum. Sententia enim definitionis ſpeciem habet.

De Definitione, primo Dialectices munere, tractauimus: nihil aliud ſupereſt, quàm ut multis exemplis exerceantur Philoſophiæ ſtudioſi, quò exactè & appoſitè definire ſciant. Siquidē in grauibus diſputationibus per=

f 2 multum

multum refert, eius rei, de qua inſtituta eſt diſputatio, definitionem tenere perſpicuam & certam. Definitiones enim fontes ſunt, unde deriuantur omnia argumenta, quibus omnis uis diſputationis corroborata manet. Alioqui qui parum cauti ſunt in definiendo, turpiter ſæpe in rebus maxime ſerijs hallucinantur. De Diuiſione ſecundo Dialectices munere, *operæprecium eſt iam facere uerba.* Habet enim Diuiſio non *minorem uim, quàm definiendi ratio: nimirum cùm per diuiſionem ſæpe ſeparentur, quæ non cohærent, & in ordinem redigantur, quæ uariè ſunt commixta & confuſa.*

TRACTATVS DE DIVISIONE.

Diuiſio (*ut generatim afferamus*) *eſt communioris in minus communia diductio.* Nam *quî fieri poſſet, ut quippiam diuideretur, niſi id, quod diuiditur, latius pateret ſingulis, per quæ fit diuiſio?* Totum *enim maius eſſe ſua parte, cõmunis ſenſus naturæ commonſtrat.* Itaq; *non pars in totum, ſed totum in partes diſſecatur.*

Obſeruatio.

In *diuidendo has conuenit obſeruare leges:* In *primis ut membra diuidentia inter ſe opponantur, neque alterum in altero includatur.* Quare *hæc inepta eſt diuiſio,* Animalium, *aliud eſt homo, aliud brutũ, aliud auis.* Nam Auis & Brutum *non pugnant, cùm ſint genus & ſpecies.* Deinde *ne quod diuiditur latius euagetur, quàm ſimul omnia membra diuidentia.* Proinde *hæc diuiſio neutiquam eſt recipienda,* Animalium, *quoddam eſt greſſibile,*

ſibile, quoddam uolatile. Sunt enim animalia, quæ nec greßibilia ſunt, nec uolatilia: ut piſces natantes, & ſerpentes, qui humi repunt. Poſtremò obſeruandum, ne membra diuidentia ad plura ſeſe extendant, quàm id, quod diuiditur. Vnde rectè non diuiſeris, Brutorum, aliud ſanum, aliud ægrum. Homines enim & ſani ſunt & ægri. Niſi ad nomina illa Sanum, & Aegrum intelligatur repeti ipſum diuiſum, hoc modo: Brutorum aliud eſt brutum ſanum, aliud eſt brutum ægrum. Hic enim diuidentia membra, quæ ſunt partes in modo reſpectu diuiſi, ipſum nequaquam excedunt. Atque ita demum in omni diuiſione ſubiecti in accidentia, ſi eam propriam cupiamus eſſe, intelligendũ eſt, diuiſum repeti ad ſingula membra diuidentia.

Admonitio.

Diuiſio omnis aut fit per negationem: ut, Animalium, aliud eſt homo, aliud eſt non homo. Aut abſq; negatione: ut, Animaliũ, aliud eſt homo, aliud brutum. Diuiſio abſq; negatione, aut eſt ſubſtantiæ in ſubſtantias, ut animalis in hominem, & cætera bruta: Aut ſubſtantiæ in accidentia, ut animalium, aliud bipes, aliud quadrupes, aliud pedibus carens: Aut accidentis in ſubſtantias, ut ſi uolatilia diuidas, in aquilam, noctuam, & alias ſpecies: Aut accidentis in accidentia: ut eruditorum, alius ex ſe doctus eſt, alius à præceptoribus inſtitutus: Aut generis in ſpecies, quæ omnium maxime propria eſt diuiſio: ut, Quantitatis, alia eſt continua, alia diſcreta. Sub hac continetur diuiſio generis in ſuas differentias: ut, Animalium, aliud eſt rationis particeps, aliud rationis expers.

Appendix.

His conuenit adijcere partitionem, quam & partium enumerationem appellat Cicero, quum totum, ſiue (ut quidam loqui malunt) integrum, deducitur in ſuas partes, uelut in membra, tum in corporalibus, tum in ijs, quæ intellectu tantùm percipiuntur: ut, quum corpus hominis diuiditur in caput, humeros, brachia, thoracem, uentrem, ilia, crura, & pedes: aut domus in tectum, fundamentum, & parietes. Hæc ſenſu percipiuntur: Rationis ſunt iſta. Ius diuiditur in legem, morem, & æquitatem. Canones argumentandi, ut in alijs, hîc ſubtexuiſſemus penes Definitionem & Diuiſionem, niſi iſtud differre maluiſſemus ad locum commodiorem. Quoad diuiſionem uocis in ſignificata, hanc ſub partitione haud alienum fuerit comprehendere: ut cum diuiditur Canis in domeſticum, marinum, & cœleſtem: Et Polypus in piſcem, & morbum: hîc enim enumeratio eſt ſignificationum eiuſdem uocis.

TRACTATVS DE PROPOSITIONE.

ARgumentatio omnis, quoniam fieri non poteſt, ut ex propoſitionum aut duarum aut trium contextu non coaleſcat, operæpreciũ nos facturos exiſtimamus, ſi prius de Propoſitionibus tractatum ineamus, quàm argumentationum genera explicemus. Alioqui fruſtra quiſpiam conabitur argumentum condere, niſi propoſitionum naturam planè cognitam habeat.

Definitio.

PROPOSITIO *eſt oratio perfecta & indicatiua ue*

tiua ueram aut falſam ſententiam exprimens: ut, Iuſtitia eſt uirtus: Iuſtitia eſt uitium. Præter Indicatiuam reliquæ omnes orationes, ut Imperatiua, Deprecatiua, Interrogatiua, Vocatiua ad Rhetoricā magis uel Poëticam doctrinam pertinere uidentur. Ex his enim non directim colligi datur ueritas aut falſitas rei, niſi ad Indicatiuam, uelut ad filum, expendantur: ut quæ continuò tanquam oculis offert rerum falſitatem, aut ueritatem.

Propoſitio uera dicitur, quæ cum re per eam ſignificata conſentit. Vt hæc eſt uera, Deus eſt iuſtus, quia res ita ſeſe habet.

Propoſitio falſa eſt, quæ cum re per eam ſignificata conſentit minime: ut, Deus eſt iniuſtus, eſt falſa, quia res ita ſeſe non habet, quemadmodum per propoſitionem ſeſe habere ſignificatur. Vnde Ariſtoteles in Prædicamentis, Ab eo, inquit, quod res eſt, uel non eſt, oratio uera uel falſa dicitur.

Appendix.

Variæ ſunt appellationes propoſitionis. Nam pronunciatum uocauit & Cicero, & Proloquium alij uocauerunt. Cicero & Quintilianus & plerique dialecticorum uſi ſunt uocabulo Propoſitionis, quia Ariſtoteles in lib. περὶ ἑρμηνείας uocat propoſitionem λόγον ἀποφαντικόν, hoc eſt, orationem, qua decernitur, ſeu fertur ſententia aliqua de re. À nonnullis uocatur Axioma uel Enunciatio.

Diuiſio.

Propoſitionum quædam Categoricæ nominantur, quas Prædicatorias Latinè appellare poſſumus: quæ-

dam Hypotheticæ, quæ Suppoſitoriæ uel potius Cõditionales nuncupantur.

Definitio.

CATEGORICA *dicitur, quæ duobus conſtat extremis, ſubiecto & prædicato. ut, Patiẽtia uincit. Quid ſit Subiectum & Prædicatum, dictum eſt prius. Illud tamen meminerint adoleſcentes, tam Subiectum quàm Prædicatum complexos terminos poſſe continere: ut, Studium doctrinæ Philoſophicæ eſt ad altiores diſciplinas capeſſendas ſummopere neceſſarium.*

Obſeruatio.

Iſtud obſeruandum eſt, ſubiectum nunquàm maius eſſe, ſed aut æquale, aut minus ſemper eſſe prædicato. Quemadmodũ in Prædicabilibus adſerere uidetur Porphyrius: Oportet, *inquit, aut æqua de æquis prædicari: ut, hinnibile de equo: aut maiora de minoribus, ut animal de homine: minora uerò de maioribus minimè: nec enim animal diceres eſſe hominem, quemadmodum diceres hominem animal. Maiora hîc dicuntur quæ ſignificatione alijs latius patẽt. Aequa uerò, ubi idem de eodem dicitur: ut, Meuius eſt Meuius, Tellus eſt Terra: Aut ubi par de pari: ut, homo eſt animal rationale. Id autẽ in prædicatione propria & directa, eáq; affirmatiua & uera tantum habet locum, in reliquis minimè.*

Definitio.

HYPOTHETICA *duæ Categoricæ ſunt, coniunctione aliqua copulatæ: cuius tres ſpecies,* Conditionalis, Copulatiua, Diſiunctiua. Conditionalis *eſt, quoties*

duæ

duæ categoricæ per coniunctionem conditionalem conſutæ ſunt: ut, Si iuſtitia eſt, uirtus eſt. Et *hæc propoſitio habet rationem conſequentiæ: conſtat enim ex antecedente & conſequente. Antecedens eſt categorica proxima coniunctioni conditionali. Conſequens uerò remotior categorica: ut in dicta conditionali,* Iuſtitia eſt, *dicitur antecedens:* Virtus eſt, *dicitur conſequens.* Neque *refert, ſiue antecedens priori loco, ſiue poſteriori collocetur, modò ſit coniunctioni proximum.* Vt *in hac,* Virtus *eſt, ſi iuſtitia eſt:* Iuſtitia *eſt, antecedens: &* Virtus *eſt, conſequens cenſetur.* Vnde *conditionalis omnis eſt uera, quando recta eſt conſequentis ex antecedente illatio.* Falſa *uerò, quando non recta eſt illatio conſequentis ex antecedente.* Id *uerißimum tantùm eſſe in conditionalibus affirmatiuis éxiſtimato.* Nam *ſecus eſt in negatiuis.* Negatiua *enim conditionalis eſt uera, quoties in affirmatiua eſſet alioqui peruerſa conſequutio: ut,* Non *ſi homo eſt, omne animal eſt.* Porrò *falſa eſt illa negatiua, quoties in affirmatiua eſſet alioqui conſequentia ualida: ut,* Non *ſi iuſtitia eſt, uirtus eſt. Sub* Conditionali *comprehenduntur* Rationalis *&* Cauſalis: Rationalis: *ut,* Iuſtitia *eſt, ergo uirtus eſt:* Cauſalis: *ut,* Quoniam *iuſtitia eſt, uirtus eſt.* Hæ *tamen inter ſe differunt.* Nam *ad ueritatem* Rationalis *quippiam requiritur amplius, quàm ad* Conditionalis *ueritatem.* Nam *præter bonam illationem conſequentis ex antecedente, exigitur utriuſque partis ueritas: ut,* Homo *eſt, ergo animal eſt.* In *Conditionali autem uera utraq; pars poteſt eſſe falſa.* Nam *in Cōditionalibus non ſumitur ueritas è partium ueritate aut falſitate.* Hæc *enim*

uera eſt, Si homo equus eſt, homo eſt hinnibilis. Nemini tamen dubium eſt, utranque Categoricam apertiſsimè eſſe falſam. Ad ueritatem cauſalis amplius requiritur, ultra bonam illationem & utriuſq; partis ueritatem, ut ueritas antecedentis ſit cauſſa ueritatis conſequentis. Proinde hæc falſa eſt: quia homo riſibilis eſt, homo doctus eſt. Nam antecedens non ponit cauſſam ueritatis conſequentis. Verùm iſta eſt uera, Quia homo diligenter ſtuduit, homo eſt doctus.

Copulatiua eſt, ut Socrates docet, et Plato audit. Quæ ſemper eſt uera, quoties utraq; pars eſt uera: & falſa, cùm altera tantum pars eſt falſa.

Diſiunctiua eſt: ut, Aut nox eſt, aut dies eſt. Diſiunctiua, cum ueritas in eo conſiſtat, ut ſemper pars altera uera falſa'ue ſit, cùm ambæ nō poßint ueræ ſimul eſſe uel falſæ, neceſſario eas res ſemper continet, quarum alteram eſſe neceſſe eſt: ut, Eſſe, Non eſſe: Dies, Nox: Ægrotus, Sanus: & cætera huiuſmodi, inter quæ tertium dari non poteſt. Nam in alijs, uti recentiores faciunt, conficta diſiunctio, formam tantum diſiunctiuæ, non uim poßidet. Quare Diſiunctiua uera eſt, cuius altera pars tantum eſt uera: Falſa, cuius utraque pars uel uera, uel falſa eſt: nimirum cùm diſiunctiua uera conſtet ex partibus immediate pugnantibus, quæ nunquàm poſſunt eſſe ſimul ueræ, uel ſimul falſæ, ſi genuinam uim diſiunctionis eam uelimus obtinere, uti dictum eſt.

De argumentatione hypothetica declarare, alibi locus ſeſe opportunius offeret. Iam ad Categoricas redeamus.

Prima

PRIMA DIVISIO CATEGORICARVM.

CATEGORICARVM *alia eſt* Affirmatiua, *alia* Negatiua. *Affirmatiua eſt, in qua prædicatum de ſubiecto dicitur affirmatiuè:ut,Socrates diſputat.* Negatiua, *in qua prædicatum de ſubiecto negatur: ut, Socrates non diſputat.*

Obſeruatio.

Operæprecium tamen eſt hoc loco aduertere, Categoricam non eſſe negatiuam, ſi negatio includeretur in periphraſi ſubiecti aut prædicati. Hinc *iſta minimè eſt negatiua,* Qui *non eſt amans honeſtatis,ad quæuis uitia dilabitur.* Rurſus *neq; iſta eſt negatiua,* Omnis *ille uirtutis eſt cultor,qui uoluptatibus non delinitur.* Nam *ut aliqua ſit negatiua, neceſſum eſt,ut uirtus negationis cadat in principalem copulam, iuxta quam totius enuntiationis qualitas,hoc eſt,affirmatio uel negatio,expenditur.* Eſt *à Grammaticis petenda natura negationum.*

SECVNDA DIVISIO.

CATEGORICARVM *aliæ ſunt* Vniuerſales,*aliæ* Particulares,*aliæ indefinitæ,aliæ* Singulares.

VNIVERSALIS *eſt,in qua ſubijcitur commune uocabulum affectum aliquo ſigno uniuerſali : ut,* Omnis *uirtus eſt auro precioſior.*

PARTICVLARIS *eſt,in qua ſubijcitur commune uocabulum ſigno particulari affectum:ut,* Quidam Philoſophi *ſunt aſſertores uoluptatis.* De *natura ſignorum uniuerſalium & particularium, conſulenda eſt*

Gramma

Grammatica, horum præceptrix.

INDEFINITA *eſt, in qua ſubijcitur cõmune uocabulum abſq; ullo ſigno:ut,* Homo *eſt animal rationale.* Hanc *particularibus quidam adnumerant iuxta cõmunem regulam, quam in ſyllogiſmis ſolent adducere.* De Indefinitis *&* Particularibus *idem eſt iudicium: inter quos* Martianus *Capella exiſtit, cuius uerba adſcribam:* Quod, *inquit, indefinitè dicimus, neceſſario particulariter accipimus, non neceſſario uniuerſaliter: quoniam id potiſsimum numerandum, quod ſecurum habet intellectũ: indefinitum pro particulari accipimus.* Valla *uerò adſerit lib.* 11. Dialectices, Indefinitam *repræſentare* Vniuerſalem. Neq; *citra iudicium:* Nam *ex uſu diſciplinarum & rationalium & naturalium & moralium, item & ſanctarum ſcripturarum comperimus indefinitas frequenter uſurpari loco uniuerſalium, præſertim ubi uniuerſæ ſpeciei aliquid tribuitur: ueluti cùm dicitur,* Syllogiſmus *tantùm tres habet terminos:* Anima *rationalis eſt immortalis:* Virtus *eſt expetenda:* Vitium *fugiendum:* Iuſtus *ex fide uiuit: & ſic de id genus mille alijs.* Hæ *omnes propoſitiones uniuerſaliter intelliguntur.*

SINGVLARIS *eſt, in qua ſubiectum nomen proprium eſt, ſeu indiuiduum:ut,* Nero *eſt tyrannus:* Hæc *arbor eſt frugifera.* Neque *poteſt hæc propoſitio efferri cum particula uniuerſali: ut ineptum eſt dicere,* Omnis Ioannes *eſt doctus: nimirum cùm indiuiduum nullum in inferiora poßit diduci.* Nam *ipſum omnium. eſt infimum.* Ea *uerò, quæ uniuerſaliter pronunciantur, pro omnibus ſibi ſubiectis accipiũtur:* Veluti *cum dicitur,* Omnis *homo*

eſt luxui

eſt luxui addictus. Homo, *propter uniuerſalis ſigni appoſitionem, extendit ſe ad* Ioannem, Petrum, Andream, *cæterosq́; ſingulares homines.*

Admonitio.

Quæſitiuum Quid, *rogat de ſubſtantia propoſitionis: hoc eſt, an ſit* Categorica, *uel* Hypothetica: *quæſitiuum* Quale, *an ſit* Affirmatiua, *an* Negatiua: *quæſitiuum* Quantum, *an ſit* Vniuerſalis, Particularis, *&c.* Iam *uidendum eſt, quòd trifariam cohæreat prædicatum cum ſubiecto, aut neceſſariò, aut contingenter, aut remotè.*

TERTIA DIVISIO.

PROPOSITIONVM *nanq;, aliæ ſunt* Neceſſariæ, *aliæ* Impoßibiles, *aliæ* Contingentes.

NECESSARIAE *ſunt, quæ ſemper ueræ ſunt, nunquàm autẽ falſæ: ut ſunt omnes illæ, in quibus genus, ſeu differentia, ſeu proprium, ſeu tota definitio tribuitur definito: ut,* Virtus eſt habitus animi, rationi conſentaneus. Iuſtitia eſt uirtus, ius ſuum reddens cuique. Et *has uulgò propoſitiones dẽ materia naturali uocitant.* In *his affirmatiua eſt uera, negatiua ſemper falſa.*

IMPOSSIBILES *ſunt, quæ ſemper falſæ ſunt, nunquàm ueræ: ut ſunt illæ, in quibus prædicatum nullo modo ſubiecto conuenire unquàm poteſt: ſicuti cùm pugnantia mutuo ſibi tribuuntur: ut,* Deus eſt iniuſtus: Calidum eſt frigidum. Et *has appellat propoſitiones de materia remota.* In *his affirmatiua eſt falſa, negatiua ſemper uera.*

CONTINGENTES, *ſeu Accidentariæ ſunt,*

quæ aliquando poſſunt eſſe ueræ, aliquando falſæ: ut ſunt illæ omnes, in quibus de ſubiecto prædicatur accidēs, po=tiſsimum ſeparabile:ut, Homo *uigilat.* N*am in inſepara=bilibus, cùm re ipſa non diuellantur à ſuis ſubiectis,nõ ita eſt in uniuerſum.* N*ihilominus tamen caduca eſt contin=gentium ueritas, non autem perpetua:ut, lapis eſt albus,* Hercules *conficit horrenda monſtra.* Q*uanquam quod præterijt mutari non poteſt: & quicquid eſt, quando eſt, ut ait* Ariſtoteles*,neceſſe eſt eſſe:tamen materia ipſa taliũ* propoſitionum Aduentitia *dicitur, quia accidentia ſunt extra ſubiecti ſubſtantiam.* I*taq; licet* Hercules *tot ingen tia monſtra domuerit, potuit tamen fieri, ut ea non do=muiſſet.*Et *has de materia contingenti appellitant.*

Appendix.

His iſtud unum adijcere neutiquam infrugiferum cen=ſeo, nempe propoſitiones *inter ſe comparari. Aut enim* Opponuntur, *aut* Conuertuntur, *aut* Conſequuntur. De propoſitionum Oppoſitione *prius agemus, deinde de earum* Conuerſione, *tum nouiſsimè de* Conſequentia *&* Argumentatione.

DE OPPOSITIONE PRO=POSITIONVM.

OPPOSITIO *propoſitionum, alia* Contraria, *alia* Subcontraria, *alia* Contradictoria, *alia* Subalterna. H*æc ultima non eſt uere* Oppoſitio. E*ſt enim* Oppoſitio, *cùm duæ propoſitiones eiuſdem ſubiecti & prædicati in=ter ſe pugnãt,uel qualitate tantũ,ut* Cõtrariæ *&* Subcõ=*trariæ:uel quantitate tantum,ut* Subalternæ:*uel qualitate ſimul & quãtitate,ut* Cõtradictoriæ. V*nde* Contrariarũ

condi

conditio eſt, ut altera ſit uniuerſalis affirmatiua, & altera uniuerſalis negatiua eiuſdem ſubiecti & prædicati:ut, Omnis uirtus eſt expetenda, nulla uirtus eſt expetenda.

Obſeruatio.

Quare non eſt neglectim prætereundum, in Contrarijs *oppoſitionem tantum reperiri ſecundum ueritatem, in qua nunquàm inter ſe conuenire queunt: non autem ſecundum falſitatem, in qua ſæpe conueniunt.* Nam *eas ſimul eſſe ueras impoßibile eſt, falſas eas aliquando eſſe, eſt poßibile: idq́; in propoſitionibus contingentibus, præſertim dum accidens eſt ſeparabile.* Vt *ſi falſum eſt, omnem hominem eſſe iuſtum, nihil quoq; prohibet falſum eſſe, nullum hominem iuſtum exiſtere.*

SVBCONTRARIAE *non ponuntur Ariſtoteli, ſed* Boëthio*: quarũ cõditio eſt, ut ſit una particularis uel indefinita affirmatiua, altera uerò particularis uel indefinita negatiua eiuſdem ſubiecti & prædicati.* Et *hæ ſimul ueræ eſſe poſſunt in cõtingentibus, non autẽ in neceſſarijs, aut impoßibilibus: ut, Quidam homines ſunt iuſti, Quidã homines non ſunt iuſti.* Neq; *unquam poſſunt eſſe ſimul falſæ: ut,* Si *falſum eſt, Quendam hominẽ eſſe iuſtũ: ſtatim uerum erit, Quendam hominem non eſſe iuſtum.*

CONTRADICTORIAE *ſunt uniuerſalis affirmatiua & particularis negatiua, ac rurſum uniuerſalis negatiua & particularis affirmatiua eiuſdem ſubiecti & prædicati: ut, Omnis homo eſt doctus, Quidã homo non eſt doctus. Aut etiam ſunt duæ ſingulares inter ſe diſſentientes: ut, Socrates eſt ſapiẽs, Socrates non eſt ſapiẽs.* Non *autem ſunt pugnantes, ſi negatio poſtponatur: ut,*

Socrates

Socrates eſt ſapiens, Socrates eſt non ſapiens, quòd termi nus ſit infinitus. nec dicitur negatiua, ſed affirmatiua, cum in præcedentia negatio non exerat ſuas uires. Poſſunt *uiciſsim ſtare ſimul prædictæ illæ propoſitiones.* Hæ *inter reliquas acerrimè pugnant, adeo ut in quibuſcunq; propoſitionibus ſiue neceſſarijs, ſiue impoßibilibus, ſiue contingentibus fiant, nunquàm ambæ poßint ſimul eſſe ueræ aut falſæ, cùm inter ens & non ens neutiquam ſit dare medium, iuxta principium* Metaphyſicum, Impoßibile *eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.* Proinde *hæ ſuo ambitu cõplectuntur naturam contrariarum pariter ac ſubcontrariarum, quòd illæ nunquàm ſimul ueræ, hæ nunquàm ſimul falſæ eſſe queant.*

SVBALTERNAE *non pugnant: Sunt enim particulares ſub uniuerſalibus poſitæ, quæq; in argumentando colligi ex uniuerſalibus poſſunt: ut,* Omnis *homo eſt mortalis, ergo quidam homo eſt mortalis.*

Canon.

In *Subalternis ad ueritatem uniuerſalis ſequitur ueritas particularis, quam uocant Subalternatam: non econtrario, ueritas particularis infert ueritatem uniuerſalis.* Porrò *falſitas particularis infert falſitatẽ uniuerſalis: non econuerſo, falſitas uniuerſalis infert falſitatem particularis.* Exempli *gratia: Si hæc eſt uera,* Omnes *homines ſunt iuſti, hæc quoque erit uera, quidam homines ſunt iuſti.* Neque *tamen retrò agitur.* Nam *licet uerum ſit quoſdam homines eſſe iuſtos, non ob id conſequitur uerum eſſe omnes homines eſſe iuſtos.* Rurſus *ſi falſum eſt, quoſdam homines eſſe iuſtos, ſtatim falſum fuerit, omnes homines iuſtos*

iuſtos eſſe. Nec tamen uiciſsim conſequitur, ſi falſum ſit omnes homines eſſe iuſtos, ob id falſum eſſe, quoſdam homines eſſe iuſtos. Fit enim, ut multi reperiantur uiri pij & iuſti, tametſi non ſint omnes eiuſmodi. Vnde apertiſſimè conſtat, Subalternas neutiquam inter ſe pugnare, neq; ſecundum ueritatem, neq; ſecundum falſitatem: multominus iuxta utrunque. Paſsim enim inueniuntur ſimul ueræ, aut ſimul falſæ. De his oppoſitionibus more aliorum non grauabor ad iuuandam ſtudioſorum memoriam figuram ſubnectere.

Omnis homo eſt pius.	*Contrariæ*	Nullus homo eſt pius.
Subalternæ	*Contradictoriæ* / *Contradictoriæ*	*Subalternæ*
Quidam homo eſt pius.	*Subcontrariæ*	Quidam homo nõ eſt pius.

DE CONVERSIONE.

DE Conuerſionibus in prioribus Analyticis diſſerit Ariſtoteles, quas ἀντιστροφὰς uocat: quarum ſanè uſum non prorſus cenſemus inutilem eſſe, tum quòd his argumentorum uice frequenter uti liceat, ut, Nemo ſapiēs eſt ambitioſus, igitur nemo ambitioſus eſt ſapiens: tum quòd his ueluti ſtellis inclareſcant plerunq; obſcuriores propoſitiones: ut, Nemo molliter uiuēs in perpetuo luxu, eſt homo: Hominem igitur eum eſſe putas, qui molliter uiuit in perpetuo luxu? Id enim pecorum eſt.

Duæ conuertendarum propoſitionum formæ traduntur; quarum una Simplex, altera Per accidens appellatur. Simplex conuerſio eſt mutatio prædicati in ſubiectum, & contrà, manente eadem qualitate & quantitate. Id accidit in uniuerſali negatiua. Si enim omnis uoluptas bonum non eſt: conſequitur, omne bonum non eſſe uoluptatem. Vniuerſalis autem affirmatiua ſecundum hanc formam non conuertitur neceſſariò. Non enim ſi omnis uoluptas eſt malum, omne malum eſt uoluptas: niſi forte addatur differentia ſeu proprium aliquod: ut, Omnis uoluptas eſt malum iucundum, ergo omne malum iucundum eſt uoluptas. Omnis homo eſt animal rationale, ergo omne animal rationale eſt homo. Præterea hoc conuerſionis modo particularis affirmatiua uertitur: ut, Quidam Vaſcones ſunt literis addicti. Quidam addicti literis ſunt Vaſcones. Hæc enim habet neceſſariam conuerſionem. Particularis uerò negatiua non habet neceſſariam conuerſionem. Non enim ſi quoddam animal non eſt riſibile, quoddam riſibile non eſt animal. Id excipitur

in his,

*In his, ubi forte differentia aut proprium de aliena ſpecie negaretur:ut,*Homo non eſt rudibilis, *igitur* rudibile non eſt homo,*rectè ſequitur. At iſtud ubiq; in omnibus particularibus negatiuis neutiquam eandem uim retinet: ſunt enim hæ à conuerſione ſimplici prorſus excluſæ.*

*Altera eſt Conuerſio per accidens, quoties mutatis ſignis,iuxta ſubalternarum naturam ex uniuerſalibus particularia colliguntur. Id accidit in uniuerſali affirmatiua, & uniuerſali negatiua, quarum utraque uertitur in particularem ſuæ qualitatis: ut,*Omnis iuſtitia eſt uirtus, Quædam uirtus eſt iuſtitia. *Item,* Nulla iniuſtitia eſt uirtus, Quædam uirtus non eſt iniuſtitia. *Hæc per accidens dicitur, quòd ſecundæ propoſitioni, quæ Conuertens dicitur, accidat noua quantitas: alia uerò dicitur Simplex, quòd quantitas maneat firma in conuerſa & conuertente. De conuerſione Per contrapoſitionem tractant recentiores Dialectici, de qua Ariſtoteles nullam fecit mentionem: quia cum in prioribus Analyticis agat de Conuerſione, tanquam cauſſa & origine perficiendi ſyllogiſmi, ac ad integritatem abſolutam reducendi, non neceſſarium duxit nouas aut indefinitas ſumere particulas. Conuerſio enim hæc dicta eſſe uidetur Per contrapoſitionem, eò quòd fiat per terminorum oppoſitionem contradictoriam. Nam hic mutantur termini finiti in infinitos, & econtrario. Et hoc modo adſerunt tantum conuerti duas propoſitionum differentias, uniuerſalem affirmatiuam & particularem negatiuam. Nam ſi omnis uoluptas eſt malum, aliquod non malum non eſt uoluptas. Qua conuerſione utitur Cicero in Rhetoricis. Pro-*

prie tamen non meretur conuerſionis nomen: quoniam in conuerſione proprie dicta oportet eadem prorſus eſſe extrema, ordine inuerſo digeſta, ut totum ſubiectū unius ſit alterius prædicatum, & econtrario: quod non eſt in hac conuerſione. Extrema enim conuerſæ ſunt duo termini finiti: extrema autem conuertentis ſunt termini infiniti. Attamen ſi ita lubeat hac conuerſione uti, ſequere potius conſuetudinem Latinè loquentium, quàm ut tam ſuperſtitioſe & fœde finitos mutes in infinitos perpetuo. Quare ſic hanc uertes, Omnis uirtus eſt expetenda, Quod non eſt expetendum non eſt uirtus. Id aptius eſt & auribus amœnius, quàm ſi dicas, Non expetendum eſt non uirtus.

Canon.

Conuerſionum iſta peculiaris uis eſt, ut eadem ſi maneant ſigna, tunc ad unius ueritatem aut falſitatem ſequatur ueritas aut falſitas alterius. Veluti ſi uerum eſt, Nullum hominem eſſe iuſtum: uerum quoq; erit, Nullum iuſtum eſſe hominem. ſi falſum eſt, Nullum hominem eſſe iuſtum: falſum quoque erit, Nullum iuſtum eſſe hominem. Si uerò non maneant utrobique eadem ſigna, uera ſemper in ueram conuertitur: Falſa uerò, in qua ſuperius ſubijcitur, quoniam ex conuerſione mutatis ſignis recta fit prædicatio, in ueram neceſſariò conuertitur: Vt, Aliquis homo animal eſt, cum tamen, omne animal hominem eſſe, minime ſit uerum. De Aequipollentijs, quarum natura pendet ex mutuo ſignorum inter ſe conſenſu, hîc præcipere, non admodum præſenti inſtituto quadrat, cùm è Grammaticorum claßibus hæc ſignorum mutatio ſit adferenda

ferenda: ut, Nemo non, æquiualet Omnis: Non omnis, Quidam non: Omnis non, Nullus, & ſic de alijs. De Modalibus *propoſitionibus tractatum hîc neutiquam prætermiſiſſemus, ſi eiuſmodi argutias, quas in ſcholis plerique de illis excogitant, uideremus uel tantillum poſſe ſtudioſorum eruditionem iuuare.* Non *inficiamur quidem* Ariſtotelem *de* Modalibus *peculiaria quædam tradidiſſe præcepta.* Vocat *autem eas, in quibus hæ uoces ponuntur,* Neceſſe, Poßibile, Contingens, Impoßibile: *ut,* Studioſos *neceſſe eſt multos tolerare labores. Cæterum quoniam has uix ſeparandas eſſe cognouimus ab eo genere categoricarum, quod hactenus tractauimus, niſi quòd hæ ſine modis his,* Neceſſe, Poßibile, *&c. efferuntur: illæ uerò cum his modis, unde dictæ ſunt* Modales: *hinc citra grauem ſtudioſorum iacturam hunc tractatum arbitramur poſſe tranſiliri.* Hactenus *de* Propoſitione. Nunc *ſequitur tertium, atque adeo præcipuum* Dialectices *munus* Argumentatio, *in qua totius negocij dialectici cardo uerſatur.*

TRACTATVS DE ARGVMENTATIONE.

SVprà *in terminorum declaratione interſeruimus nonnullos argumentandi canones, idq́; non inconſulto: nimirum ut adoleſcentes ſtudioſi etiam ab initio incipiant paulatim adſuefieri ſtruendis argumentis, & terminorum cognitionem ad aliquem uſum conferre, ſine quo ocioſa eſt prorſus & inutilis omnium præceptionum traditio.* Nihilo *ſecius hoc loco (ne diutius remoraremur*

Lectorem) conſtituimus de argumentandi ratione, quoad fieri poteſt, ſimpliciſſime tractare, tametſi hactenus de ea quamplurima ſunt interſperſa. Præſertim cùm locus ſuppeditet iſtic maiorem opportunitatem, quàm ſuperius, ut hac de re concinniori ordine omnia poſſent diſponi.

Admonitio.

Illud prius admonendum eſt, Dialecticen omnem, M. Tullio & Seuerino Boëthio teſtibus, duabus cõſumi partibus, altera inueniendi argumenta, quam Τοπικὴν uocant, quæ tota in locis traditur: altera iudicandi, quæ κριτικὴ dicitur. Ex hac petenda eſt materia, cùm de re quapiam diſſerendum erit: Suppeditant enim Topica copioſam diſputandi ſupellectilem. Ex illa uerò colligitur forma, ad quam ueluti ad filum & amuſſim inuenta argumenta connecterentur. Proinde de Argumentatione duplex eſt quæſtio: aliàs enim de Materia argumentorum præcipitur, aliàs de Forma indagatur: ut uidelicet ad hanc exigatur materia, atq; ita hincinde intelligi poſſit, an membra rectè, aut ſecus cohæreant. Quo fit, ut in ſyllogiſmis & ſibi cognatis, lateat argumẽtandi formula, licet non materia. Prius igitur more Ariſtotelico trademus de formis argumentationum, quàm de locis argumentorum.

Definitio.

ARGVMENTATIO *eſt concluſionis ex antecedente collectio. Antecedens dicitur id omne, quod in argumentatione præcedit rationalem coniunctionem: & id quod hanc ſequitur uocatur conſequens. Differt ea ab Argumento, quòd Argumentum ſit ueluti anima Argumentationis. Nam Argumentum ut Cicero in Par-*

titionibus

titionibus ait, eſt probabile inuentum ad faciendam fidẽ: quod niſi fuerit, tanquam exanimis erit Argumentatio, nihilq́; habens uirium. Argumentatio uerò (ut Boëthius inquit) eſt argumenti per orationem explicatio. Sunt autem Formæ argumentationis quatuor, Syllogiſmus, Inductio, Enthymema, & Exemplum: quarum duas poſteriores ad Rhetoricam officinam ſpectare, priores ad Dialecticũ uſum pertinere adſerit in poſterioribus Analyticis Ariſtoteles, quem in his Argumentationum ſpeciebus eatenus ſequemur, quatenus id expedire poſſe intelligemus adoleſcentulorũ eruditioni. Nam argute magis & minutim tractat de his multa, quàm ſtudioſorum utilitati conueniat. Neque & animus hic (ut nec alibi) eſt, Lectorem ullis ſalebris difficultatum remorari, neque futilibus altercationibus obtundere. Nam cauillationibus ſophiſticis non oportet eſſe locum ullum inter ueritatis indagatores, cuiuſmodi conuenit eſſe Dialecticos omnes: quamuis inter hos non deſunt innumeri, qui Dialecticis abutantur ad meras contentiones omnis ueritatis inimicas. Et meminerit Lector, me, ut initio dixi, non uerba Ariſtotelis in omnibus expreſſurum. Sufficit ſi res ab eo mutuer, & rebus ipſis appoſitam phraſim, eamq́; dilucidam, accommodem. Nam rebus debet ſeruire ſermo, non res ſermoni.

DE SYLLOGISMO.

SYLLOGISMVS eſt oratio, in qua ex duabus propoſitionibus concluſio neceſſariò ſequitur: ut, Omnis uirtus eſt habitus. Iuſtitia eſt uirtus, ergo iuſtitia eſt habitus. Et iſtud argumentationis genus inter reliqua

obtinet principatum, adeo ut ad iſtud ueluti ad caput fontis cætera referantur. Dicitur autem Syllogiſmus à Græco συλλογίζεσθαι, quod computare, colligere, & ratiocinari ſignificat. Vnde ipſum Cicero uocat Ratiocinationem in lib. de Inuentione. Quintilianus ἐπιχείρημα.

Is diducitur in Hypotheticum, & Categoricum.

HYPOTHETICVS *eſt, cuius uel altera præmiſſarum tantum, aut concluſio hypothetica eſt: ut, Si homo eſt, animal eſt: atqui nullum animal eſt, igitur nullus homo eſt. At de hoc poſtea tractabimus poſt Categoricos ſyllogiſmos, non quidem ex Ariſtotele, qui de Hypotheticis in ijs quidem libris, qui extant, nihil ſcriptum reliquit, ſed ex Boëthio (licet non omnia) qui librum de ſyllogiſmis hypotheticis ſcripſit, quem ex Eudemio & Theophraſto diſcipulis Ariſtotelis traduxit.*

CATEGORICVS *ſyllogiſmus eſt, cuius & antecedens & conſequens tantum ex categoricis propoſitionibus coaleſcunt: ut, Omnis uirtus eſt expetenda, iuſtitia eſt uirtus, ergo iuſtitia eſt expetenda.*

Appendix.

Rhetores putant hanc breuiſſimam eſſe argumentationem, quæ tantum hiſce tribus partibus conſtat: longiſſimam, quæ quinq;: mediocrem, quæ quatuor. In longiſſima ponunt Propoſitionem, Rationem, Confirmationem, Exornationem, & Complexionem. *Propoſitio eſt, quod aſſumitur ad probandum.* Ratio, *quæ probat, quod propoſitum eſt.* Confirmatio *eſt ipſius probationis probatio.* Exornatio *eſt, quæ locupletandæ rei gratia adhibetur.* Complexio, *quæ ſuperioribus compendio repetitis, iterat*

tis, iterat propoſitionem. Exempli *cauſſa:* Sit *propoſitio,* Optima *primum diſcenda:* Ratio, *quoniam prima ætas, ut eſt docilior, ita tenacior eſt eorum, quæ percipit:* Confirmatio, *quoniam ingenium nondum eſt prophanis curis aut uitijs occupatum:* Exornatio, *Quemadmodum enim in uacuis tabellis commodius ſcribis, quicquid libet: & ut argilla ceráq; mollis, facilius ſequitur fingentis manum, & noua teſta diutius ſeruat odorem, quo primum fuit imbuta: ita tener animus & facilius percipit honeſtas diſciplinas, & melius per omnem uitam meminit, quod à teneris unguiculis percepit.* Porrò *quoniam eiuſdem propoſitionis poßunt eſſe uariæ rationes, & ſingulæ uarijs modis poſſunt confirmari, tum* Exornatio *uariam ſupellectilem ſecum adducit* Similium, Exemplorū, Sententiarum, Prouerbiorum, *prolixa naſcetur argumentatio, ut merito complexio uice epilogi fungatur.* Hunc in *modum* Rhetores, *quos hic peculiariter non imitor.* Dialecticum *præcipuè inſtituo, non* Rhetorem, *licet utraq; diſciplina mutuis operis utatur.*

Aliter Dialectici, *quibus perfectus ſyllogiſmus conſtat tribus tantum propoſitionibus,* Maiore, Minore, & Concluſione. Maiorem *uocant primam partem antecedentis:* Minorem *uerò ſecundam antecedentis partem.* Sic *quoq; ex tribus terminis conflatur,* Maiore *extremo,* Minore *extremo, &* Medio. Maius *extremum appellant terminum, qui tantum ponitur in propoſitione maiore ante concluſionem.* Minus *extremum dicunt terminum, qui tantum in minore propoſitione ponitur ante concluſionem.* Medium *terminum, qui in utraq; collocatur.*

Vt in hoc ſyllogiſmo, Omnis uirtus eſt habitus, iuſtitia eſt uirtus, ergo iuſtitia eſt habitus: Habitus *eſt maius extremum:* Iuſtitia *eſt minus extremum:* Virtus *eſt medium. Ita fiunt tres propoſitiones ex tribus terminis, dum ſinguli bis repetuntur.*

Canones. Primus.

In Syllogiſmo non debent eſſe quatuor termini, ſed tres. Hinc uitioſe colligitur, quoties in eo reperitur Aequiuocatio *uel* Amphibologia, *hoc modo:* Omne *ſanum eſt animal, urina eſt ſana, ergo urina eſt animal.* Sanum *accipitur æquiuocè. De animali dicitur ut de ſubiecto, de urina, ut de ſignante. Sic æquiuocum omne plurium uocabulorum ualore æſtimatur.*

Secundus.

Medium in concluſione non debet repeti. Vnde *hic ſyllogiſmus non ualet,* Omnis *uirtus eſt habitus, iuſtitia eſt uirtus, ergo uirtus eſt iuſtitia.* Nec *mirum, quoniam medium cauſa eſt, cur in concluſione prædicatum ſubiecto inſit. Proinde in utraque propoſitione ante concluſionem poni oportet, nec inſeri concluſioni poteſt.* Eam *diſpoſitionem docet communis naturæ ſenſus.*

DE SYLLOGISMORVM FIGVRIS.

SVNT *autem* Figuræ *ſyllogiſmorũ tres.* Prima *eſt, in qua medium eſt ſubiectum maioris & prædicatum minoris.* Secunda, *in qua mediũ eſt utriuſq; prædicatũ.* Tertia, *in qua medium eſt utriuſq; ſubiectum.* Quare Figuram *nihil aliud uocamus, quàm terminorum ordinem.*

Appen

Appendix.

Hæ Figuræ continent in ſe Modos, autore Ariſtotele, quatuordecim: Prima quatuor: Secunda item quatuor: Tertia uerò ſex. Sed primæ figuræ quatuor modis quinque alios indirectim cōcludentes Boëthius autumat uel à Theophraſto uel ab Eudemo adiectos, atq; ita in ſumma eſſe Modos undeuiginti. Proinde ſicut Figura eſt ſeries terminorum, ita in ſyllogiſmo Modus eſt propoſitionum concinna ordinatio. Ex his omnibus priores quatuor primæ figuræ modi perfectos nobis ſuppeditant ſyllogiſmos, reliqui uerò omnes imperfectos: non quòd hi ex paucioribus conſtent propoſitionibus, quàm illi (omnes enim ex æquo tribus propoſitionibus conſuuntur) ſed quòd illi euidentius dicuntur concludere: hi uerò, ut ait Ariſtoteles, non perinde euidenter. Quare ob idipſum reductionibus oſtenſiuis, & per impoßibile utuntur acuti homines, quarum tractatione non ſtat ſententia tenera hic ingenia torquere.

Obſeruatio.

His decem & nouem modis exprimendis effinxerunt prodigioſa quædam uocabula, ſed quæ non parum adferunt lucis, ſi modo animum intendamus, ad horum modorum notionem. Quæ quoniam paßim in ſcholaſticis diatribis uſurpare uidemus, ea nos mutare nolumus, quin potius ſubſcribenda hic cenſemus.

Primæ figuræ modi.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſomorum.

Secundæ

Secundæ figuræ modi.

Cæſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.

Tertiæ figuræ modi.

Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

In his omnibus modis, ſi propius intuearis, quatuor uocales reperiuntur, A, E, I, O, *quæ ſunt notæ affirmationis, negationis, uniuerſalium, & particularium.*

A, *nota eſt uniuerſalis affirmatiuæ.*

E, *nota eſt uniuerſalis negatiuæ.*

I. *nota eſt particularis affirmatiuæ.*

O, *nota eſt particularis negatiuæ.*

PARADIGMATA OMNIVM MODORVM.

Primæ figuræ modi.

Bar	*Omne ſcelus eſt puniendum.*
ba	*Omnis hæreſis eſt ſcelus.*
ra.	*Ergo omnis hæreſis eſt punienda.*
Ce	*Nulla uirtus eſt flagitium.*
la	*Omnis iuſtitia eſt uirtus.*
rent.	*Ergo nulla iuſtitia eſt flagitium.*
Da	*Omnis uirtus eſt colenda.*
ri	*Iuſtitia eſt uirtus.*
j.	*Ergo iuſtitia eſt colenda.*
Fe	*Nulla pars Philoſophiæ eſt negligenda.*
ri	*Dialectica eſt pars Philoſophiæ.*
o.	*Ergo dialectica minime eſt negligenda.*

Hi quatu

Hi quatuor modi dicuntur directim concludere, quòd in his Maior extremitas de Minore in concluſione prædicatur: reliqui uerò quinque iam ſubtexendi indirecte concludunt, quia in his Minor extremitas de Maiore in concluſione prædicatur, qui quidem ordo eſt præpoſterus. Vnde niſi conſuetudini ſcholarum aliquantulum uellemus indulgere, de his nullam faceremus mentionem, præſertim cùm eorum uix ullum uideamus eſſe uſum, quum nullus ſyllogiſmus in prima figura contexi poſſet, qui non in aliquo illorum modorum, quos tradidi, queat includi.

Ba	*Omnis uirtus eſt habitus.*
ra	*Omnis iuſtitia eſt uirtus.*
lip.	*Ergo quidam habitus eſt iuſtitia.*
Ce	*Nulla uirtus eſt flagitium.*
lan	*Omnis iuſtitia eſt uirtus.*
tes.	*Ergo nullum flagitium eſt iuſtitia.*
Da	*Omnis uirtus eſt habitus.*
bi	*Iuſtitia eſt uirtus.*
tis.	*Ergo quidam habitus eſt iuſtitia.*
Fa	*Omne animal eſt ſubſtantia.*
peſ	*Nullus lapis eſt animal.*
mo.	*Ergo quædam ſubſtantia non eſt lapis.*
Fri	*Quædam uirtus eſt habitus.*
ſe	*Nullum uitium eſt uirtus.*
ſo.	*Ergo quidam habitus non eſt uitium.*

Secundæ figuræ modi.

Cæ	*Nulla pietas eſt contemnenda.*
ſa	*Omnis crudelitas eſt contemnenda.*

re. Ergo nulla crudelitas eſt pietas.
Ca Omnis homo eſt animal.
me Nulla arbor eſt animal.
ſtres. Ergo nulla arbor eſt homo.
Fe Nulla uirtus eſt uitium.
ſti Ambitio eſt uitium.
no. Ergo ambitio non eſt uirtus.
Ba Omne honeſtum eſt pulchrum.
ro Indecorum non eſt pulchrum.
co. Ergo indecorum non eſt honeſtum.

Tertiæ figuræ modi.

Da Omnis uirtus eſt bona qualitas.
ra Omnis uirtus eſt expetenda.
pti. Ergo quod eſt expetendum eſt bona qualitas.
Fe Nullus homo eſt lapis.
la Omnis homo eſt animal.
pton. Ergo quoddam animal non eſt lapis.
Di Quædam uirtus eſt expetenda.
ſa Omnis uirtus nos beat.
mis. Ergo quod nos beat eſt expetendum.
Da Omnis pars Philoſophiæ eſt neceſſaria.
ti Quædam pars Philoſophiæ eſt dialectica.
ſi. Ergo Dialectica eſt neceſſaria.
Bo Quoddam inhoneſtum eſt fugiendum.
car Omne inhoneſtum eſt turpe.
do. Ergo turpe eſt fugiendum.
Fe Nullum turpe eſt ſequendum.
ri Quoddam turpe eſt uoluptas.
ſon. Ergo quædam uoluptas non eſt ſequenda.

Hæc

Hæc Figura, ut ſuprà diximus, accommodatiſsima eſt ſyllogiſmis expoſitorijs, quorum medium eſt uox ſingularis, ut

Ariſtoteles eſt magnus Philoſophus.
Ariſtoteles eſt diſputator diſertus.
Ergo qui eſt diſputator diſertus, eſt magnus Philoſophus.

At de his antea ſatis abunde. Nunc quædam de Coaceruatione, cùm ſit ſyllogiſmo cognata, non infrugiferum fuerit adiungere: quamuis Ariſtoteles eam inter argumentandi formas non numerauerit, niſi quòd in prædicamentis regulam tradiderit, ex qua Coaceruationem liceat elicere: ſed ea non erat ibidem Ariſtotelis ſentẽtia, ut argumentandi formulã traderet, cùm illic tantũ de ſimplicibus uocibus agat, non de argumentationibus.

Coaceruatio.

Eſt autem Coaceruatio, quæ Soros uel Sorites dicitur, non abſimilis κλίμακι, ſeu gradationi, quæ inter ſchemata Rhetorica numeratur. Ea fit quoties ita per gradus oratio diſtinguitur, ut dictio finiens particulam præcedentem inchoët ſequentem. Quemadmodum fit in aceruo uocum neceſſario cohærentium, ut ſpecierum, generum, cauſarum, & effectuum: ut,

Omnis uirtus eſt habitus.
Omnis habitus eſt qualitas.
Ergo omnis uirtus eſt qualitas.

Hanc formam uulgus Dialecticorum ſolet appellare argumentationem à primo ad ultimum. Valet itaq; hæc forma certius in ordine rerũ eiuſdem prædicamẽti, adeoq; in

axiomatis neceſſarijs. In contingentibus non ſemper apte colligitur, ſi argumenteris,

Studioſi literarum ſunt amantes ocij,
Amantes ocij ſunt ſegnes,
Ergo ſtudioſi literarum ſunt ſegnes.

Non ſequitur, eò quòd argumenti partes non eadem inter ſe conferuntur ratione, quod uitiū ubiq; in argumentando ſummopere eſt uitandum. Aliud enim eſt ſtudioſorum, aliud ſegnium ocium. Hæc argumentatio tam affinis eſt ſyllogiſmo, ut ſi transponas minorem in locū maioris, iam conſtitueris ſyllogiſmum primæ figuræ, quemadmodum fixius intuenti patet.

Canones Syllogiſmorum.

Ex ſolis negatiuis & particularibus non rectè colligitur.

Ad quaſcunque præmiſſas ſequitur concluſio, eadem ad eaſdem tranſpoſitas conſequitur: ut, ſicuti bene ſequitur, Omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia: ita rectè ſequitur, Omnis homo eſt animal, omne animal eſt ſubſtantia, ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Eſt enim Coaceruatio. Nam, Quicquid eſt ſuperius ſuperiore, id etiam ſuperius eſt inferiore.

De Propoſitionibus ex quibus ſæpe conſtat Syllogiſmus.

Suprà admonuimus quaſdam eſſe propoſitiones neceſſarias, quaſdam eſſe poßibiles, quaſdam impoßibiles. Ita iuxta has ex Ariſtotele in initio primi libri Topicorum diuidere licebit Syllogiſmum in Demonſtratiuum,

Dialecticum

Dialecticum, & Litigioſum. Eſt enim Syllogiſmus demonſtratiuus argumentationis genus, quod ſemper ſtruitur ex neceſſarijs. ideoq́; apud Geometras γραμμικαὶ ἀποδείξεις dicuntur, hoc eſt, lineares demonſtrationes, quòd hæ probationes habeant certiſſimas, minimeq́; ambiguas. Nam Ariſtoteles in primo Poſteriorum multis colligit uerbis eas conſtare ex ueris, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & cauſis & principijs concluſionis: hoc eſt, ex propoſitionibus adeo confeſſis, ut nulla egeant probatione, Verbi gratia, Hæc eſt demonſtratio,

Omne animal rationale eſt capax diſciplinæ,
Omnis homo eſt animal rationale,
Ergo omnis homo eſt capax diſciplinæ.

Fiunt demonſtrationes, cùm ex definitione definitum, aut econuerſo, ſeu cùm ex proprijs cauſis effectus ſeu propria officia, ſeu ex effectibus propriæ cauſæ colliguntur. Vnde ex demonſtratione paratur certiſſima quacunq; de re ſcientia: atq; ob id Ariſtoteles eam definit, eſſe ſyllogiſmum facientem ſcire: & Scire, eſſe rem per cauſam cognoſcere, propter quam res eſt. Nemo enim rem quampiam abſolutè nouit, niſi eius cauſas & principia peruiderit: Sunt enim cauſæ fontes artium. Quare Ariſtoteles adſerit demonſtrationem ex principijs coaleſcere. Sunt autem Principia communes quædam ſententiæ diuinitus animis mortalium inſculptæ, quibus naturaliter adſentimur: ut Omne totum eſt maius ſua parte. Si ab æqualibus æqualia demas, remanentia erunt æqualia, & huiuſmodi mille, quæ nobiſcum naſcuntur. Hoc argumentandi genus philoſophorum proprium eſt.

Aliud eſt genus argumentationis Dialecticum, quod probabilibus, ſeu ueriſimilibus propoſitionibus conſtat, ut definit Ariſtoteles. Probabiles uocat, quæ uidentur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus, & his aut omnibus, aut pluribus, uel maximè probatis eſſe ueræ: ut,

Omnis mater diligit filium,
Hæc eſt mater,
Igitur diligit filium.

Prima propoſitio eſt incertæ & nutabundæ ueritatis: poteſt enim mater exiſtere, quæ capitaliter filium oderit, quemadmodum Medea filium ſuum interfecit. Hæc igitur argumentationis ſpecies, cùm neceſſarias non habeat probationes, opinionem quandam gignit, nō autem ſcientiam, quæ ſola ex demonſtrationibus acquiritur. Vnde ad Rhetores potiſſimum ea pertinet, quòd hi nimirum arte quadam, & uafricie ingenij comminiſcuntur multa ueriſimilia ad rem, quam ſuſceperint, defendendam, præſertim cùm rationibus neceſſarijs ſint deſtituti. Diſcrimē itaq; argumentationis Demonſtratiuæ & Dialecticæ non ex forma deſumendum eſt, in hac conueniunt, ſed ex materia, cùm illa ex neceſſarijs, hæc ex ueriſimilibus conglomeretur pronunciatis.

Aliud eſt argumentationis genus Litigioſum, quod conſtat ex captioſis & planè falſis, quæ in ſpeciem tamen uidentur eſſe ueræ, & non ſunt. De hoc genere in fine ſuccinctè trademus, quantum poſtulat ſtudioſorum utilitas, ne libellus in uaſtum uolumen excreſcat. Interim ad reliqua anteaquā accedamus, haud incōmodū fuerit hic ſubnectere nonnulla quæ Rodolphus diſerte ac facunde ediſſeruit

ſeruit de duplici argumentandi ductu.

Annotatio.

Colligendæ concluſionis duplex eſt ductus, Rectus & Obliquus. Rectus eſt, cùm propoſito themate recta uia colligimus, id quod intendimus. Vt ſi quis hoc Stoicorum paradoxum, Sapiens eſt diues, recto ductu colligere intendat, id ita efficiet: Quiſquis nullius rei indiget, is diues eſt: Atqui ſapiens nullius rei indiget, ergo ſapiens eſt diues. Obliquus eſt, cùm ueluti flexuoſo tramite incedimus, & accepto propoſiti thematis contradictorio, inferimus ex eo quippiam abſurdi ſequi, à quo regreßi antecedens adſtrimus quoque eſſe abſurdum, atq; poſtremò oſtēdimus uerum eſſe hoc ipſum, quod probare uoluimus. Exempli gratia: Paradoxum illud ita obliqua uia colligitur: Si ſapiens nō eſt diues, cupiet aliquid (Nam quiſquis non eſt diues, aliquid cupit) Sed conſequens eſt falſum, ergo & illud ex quo ſequitur: nimirum Diuitem non eſſe ſapientem. Si id falſum, eius contradicens erit uerū: ergo uerum eſt, id quod intenditur, Sapientē eſſe diuitem. Hic ductus ex eo potißimum uim habet, quòd ex uero nil niſi uerum colligitur, neq; duo cōtradicentia ſimul uera eſſe poſſunt, aut falſa. Hic à ſuperiore differt, quòd ille tanquam aperto Marte, hic uerò ex inſidijs antagoniſtam adoritur.

DE ENTHYMEMATE.

APVD *Rhetores Enthymema contractioribus ueluti limitibus coërcetur, ita ut Cicero in Topicis ſcribat, Rhetores Enthymemata propriè adpellaſſe, argumenta ex contrarijs concluſa. Apud Dialecticos uerò la-*

tius diſtenditur, adeo ut argumentationibus mutilatis dun taxat tribuatur, in quibus deeſt uel maior, uel minor propoſitio. Nam enthymema, cum à quibuſdam imperfectus aut truncatus ſyllogiſmus dicatur, ex una propoſitione cõ cluſionem infert, ſed tribus æque terminis conſtituitur, quemadmodum perfectiſsimus ſyllogiſmus, quamuis in illo aut ſtudio breuitatis, aut ſolertia quadam diſsimulatur aliqua propoſitio antecedentis, quæ in abſoluto ſyllogiſmo exprimitur: ut, Omnis *inſidiator iure occiditur, ergo* Clodius *iure occiditur: hic ſilentio ſupprimitur minor.* Item, Clodius *eſt inſidiator, ergo iure occiditur: hic ſubticetur maior.* Quo *fit, ut ob alteram uel alteram propoſitionem diſsimulatam, & cogitationi diſputantis relictam apud* Græcos ἐνθύμημα *cogitationem ſignificet, & apud* Quintilianum *commentationem uel commentum.* Nam *uerſutus altercator ſuum antagoniſtam nulla re alia poterit illaqueare commodius, quàm ſi eam celet propoſitionem, quæ illi ſoluendi aditum poſsit aperire: quemadmodum aptiſsima molimina ſunt conuincendi hoſtem, occultare inſidias, ne ab eo deprehendantur.* Hoc *autem fit in hac imperfecta argumentatione, in qua quia non omnes partes exponuntur, uitia quoq; minus ſeſe profſerũt: quod ſecus eſt in perfecta argumentatione in qua, cùm efferantur omnia per quæ fit probatio, quicquid uitij erroris'ue ſubſit, latere non poteſt.*

Obſeruatio.

Ad abſoluendum Enthymema *uel adiecta maiore uel minore opus eſt ſagaci quadam circunſpicientia.* Si *in antecedente & conſequente idem eſt ſubiectum, deſideratur*

ratur maior aut primæ aut ſecundæ figuræ. Præterea ſi ſubiectum conſequentis eſt prædicatum antecedentis, deſideratur maior tertiæ figuræ. Inſuper ſi in antecedente & conſequente eſt idem prædicatum, deſideratur minor aut primæ aut tertiæ figuræ. Poſtremo ſi prædicatum conſequentis eſt ſubiectum antecedentis, deſideratur minor ſecundæ figuræ. Exempla facile apud ſe quiſque perpendet, modò alicuius ſit iudicij, dũ conficiens ſyllogiſmum, aut maiorem aut minorem cogitatione comprehendit, nec eam explicat uerbis.

Admonitio.

Ad formam Enthymematis rediguntur argumenta, quibus à diuiſis ad coniuncta proceditur, aut contrà: ut, Dialectica eſt ſcientia, & eſt utilis, ergo eſt ſcientia utilis. Sed in his diſpiciendum eſt, ut natura permittat illa membra coniungi, quemadmodum ſatis ſuperq; tractauimus ſuprà de terminis complexis & incomplexis. Item huc ſpectat forma ab Eſt tertio adiecto, ad Eſt ſecundum adiectum: ut, Paries eſt albus, ergo paries eſt. Valet potiſſimum, cùm accidens affirmatur ſubiecto adeſſe. Nam poſito accidente ſeu forma aliqua, exiſtere ſubſtantiã neceſſe eſt, ut ſuprà diximus.

DE INDVCTIONE.

INDVCTIO, *teſte* Rodolpho Agricola, *eſt argumentatio, qua ex pluribus uel partibus uel ſpeciebus unum aut totum aut genus uniuerſaliter colligitur. Genus hic uoco, quicquid aliqua ratione in plura diuiditur. Species in quas diuiditur. Ex partibus Inductio ſit hoc modo: Plebs* Romana *optime de Milone ſentit,*

& equeſter ordo, & ſenatus: tota igitur ciuitas optime de Milone *ſentit.* Ex *ſpeciebus:* Pompeius *habet peritiam rei militaris, habet autoritatem & felicitatem, habet ergo cuncta in ſummo imperatore requirenda.*

Admonitio.

Hæc forma, dici non poteſt, quantopere conducat explicandis rebus obſcurioribus: nimirum cùm nihil in uniuerſum tam perſpicuè nobis explicetur, quàm per ſingularia, quæ noſtris ſenſibus magis ſunt familiaria, quàm quiduis aliud. Nam *cum priſcis ſeculis adhuc obſcurum fuerat, an omne uinum haberet uim calefaciendi, experientia hominum pòſt collegerat ex multis ſimilibus ſingularibus, omne uinum calefacere, dum uidelicet compertum habuerant, uinum Smyrneum, Maßicum, Phalernum,* Belnenſe, *Pictauienſe,* Aurelienſe, Ahenanum, Creticum, Vaſconicum, Rheticum, *& ſigillatim alia calefacere, nec ullum uini genus diuerſam habere uim.* Vnde Inductio *luculentior eſt, & nobis magis perſpicua, ſyllogiſmus uero firmior eſt, & communitior, ut ait* Ariſtoteles 11. Priorum Analyt. *Siquidem ſyllogiſmus procedit ex prioribus ſecundum naturam, nempe ab uniuerſalibus:* Inductio *uero à ſingularibus, quæ ſecundum naturam quidem ſunt poſteriora obſcurioráq;, ſed ſecundum noſtram imbecillitatem ſunt notiora, magisq; obuia, & ueluti in conſpectu poſita.* Nam *ſenſibus noſtris ſeſe ingerunt.* Hinc *fit ut Ariſtoteles adſerat, per inductionem apte poſſe probari principia demonſtrationum, licet per ſe, non per alia fidem habeant.* Quemadmodum *hoc principium,* Omne *animal rationale eſt capax diſciplinæ, per*

induct

inductionem optime probatur hoc modo: Iſtud animal rationale diſciplinam concipit, & item illud, atque ita in cæteris: igitur omne animal rationale eſt diſciplinæ capax. Hæc autem principiorum probatio per inductionem non inde prouenit, quòd principia probatione indigeant (ſunt enim ſuapte natura certiſſima) ſed id fit potiſſimum ad ſuccurrẽdum imbecillitati humani captus, qui, ut ait Ariſtoteles, cæcutit circa manifeſtiſſima naturæ, hoc eſt, uniuerſalia, non ſecus quàm in ſole oculus noctuæ caligat.

Obſeruatio.

Cum omnia argumentationum genera poſſint ad ſyllogiſmum, tanquam ad omnium principem, deſtinari, Ariſtoteles ſummus methodi ſeruandæ artifex Inductionem quoque ad ſyllogiſmum reducẽdam exiſtimat, ſi uidelicet diſiunctum ex omnibus ſingularibus pro medio accipias. Hæc eſt inductio: Iſte ignis apud Perſas eſt calidus, & iſte ignis apud Indos eſt calidus, & iſte ignis apud Vaſcones eſt calidus, nec conſtat de contrario, ergo omnis ignis eſt calidus. Quæ hoc modo reducitur: Omne quod eſt iſte ignis, uel ille uel ille, & ſic de ſingulis, eſt calidum, & omnis ignis eſt iſte ignis, uel ille ignis, uel aliquis alius ignis, ergo omnis ignis eſt calidus. Sic cenſendum eſt de negatiua inductione.

DE EXEMPLO.

EXEMPLVM, *quod à Græcis παράδειγμα dicitur, à Cicerone in Rhetoricis ponitur eſſe pars comparabilis. Comparabile, inquit, eſt quod in diuerſis rebus ſimilem aliquam rationem continet. Eius ſunt partes tres,*

Imago, Collatio, Exemplum. Imago, eſt oratio demonſtrans corporum aut naturarum ſimilitudinem. Collatio, eſt oratio rem cum re ex ſimilitudine conferens. Exemplum eſt, quod rem autoritate aut caſu alicuius hominis, aut negocij confirmat, aut infirmat. Vnde Exemplum rhetoricam inductionem dixerunt. Quod & Ariſtoteles tum in Rhetoricis, tum in primo Poſteriòrum Analyticorum præcipit, cùm ait, Similiter autẽ & oratores perſuadent. Aut enim per Exempla, quod eſt Inductio, aut per Enthymemata, quod quidem eſt Syllogiſmus. Cæterùm hîc non tam curioſe, ut Cicero, impræſentiarum diſtinguemus Exemplum, quin ſub eo & Collationes, & Imagines, & Similitudines, & Argumenta à maiori & minori comprehendemus. Sic enim definiunt dialectici Exemplum.

Definitio.

EXEMPLVM *eſt, quoties unum particulare per aliud probatur, propter ſimule, quod in utroque conſpicitur. Nec abs re. Siquidem ſimilitudo in exemplo eſt cauſſa conſequentiæ: Vt, Niniuitis, licet peccatoribus, pepercit Deus, quia ad meliorem mentem reſipuerunt: igitur & nobis peccantibus parcet Deus, ſi commiſſorum nos pœniteat. Sodomitæ male perierunt, quòd ſuis ſceleribus indurati non conuerterunt ſe ad ſaniora conſilia: Ergo & nos male peribimus, ſi non agamus pœnitentiã noſtrorum criminum.*

Obſeruatio.

Illud potiſſimum in hac argumentatione obſeruare conuenit, ut ſimilitudo, quæ adducitur, ad rem pertineat,

hoc

hoc eſt,cauſſa ſit, cur prædicatum antecedentis ſubiecto conueniat. Nam propoſito exemplo, ſi in eo diſsimilitudo deprehenſa fuerit, continuo exemplum reijciendum eſt. Atque hæc eſt ratio diluendi exempla, ſi diſsimilitudo oſtendatur. ut non recte cohærent iſta, Iudas malè perijt, igitur & Petrus male perijt, Diſsimilitudo eſt. Non enim male perijt Iudas ob id quòd eſſet homo, aut Apoſtolus,aut etiam peccator, ſed quòd poſt proditionẽ Magiſtri deſperans de benignitate diuina factus eſt ſui perditor. Petrus autem,etſi indignum facinus patrauit abiurando CHRISTVM, *poſtmodum tamen ad ſe reuerſus admiſſum crimen effuſis lacrymis defleuit,neq; more illius proditoris ad reſtim deſperationis confugit. Quamobrem non male perijt,ſed Apoſtolorum princeps eſt electus.*

Adnotatio.

*Docet Ariſtoteles, exemplum reduci poſſe, partim ad Inductionem, partim ad Syllogiſmum hoc modo: Accipias particulare primum, & ex eo per Inductionem imperfectam colligas propoſitionem uniuerſalem, ac deinde ex uniuerſali procedas ad aliud particulare, quod infertur in concluſione exempli. Verbi cauſſa:*Hoc exẽplum, *Iudas male perijt, igitur & Pylatus, ſic reducitur: Iudas male perijt, quia mortis domini autor fuit, nec egit dignam pœnitentiam,igitur omnis,quicunq; mortis Domini autor fuit,nec pœnitẽtiam egit, male perijt. Deinde ſub hac uniuerſali ita ſubſumitur, Pilatus autor fuit mortis Domini, nec egit pœnitentiam: ac poſtremò infertur alterum particulare, igitur Pylatus male perijt. At de his ſatis ſuperq;: tantum id ſupereſt commonefaciendum,*

exempla magnam habere uim, & ad perſuadendum, & ad inflammandos animos ad æmulationem uirtutis. Nuſquam enim quiſpiam accenditur magis ad res magnas gerendas, quàm uirorum fortium egregijs exemplis propoſitis: contrà, nunquam à rebus turpibus ac noxijs deterremur citius, quàm flagitioſorum hominũ ſupplicijs in memoriã reuocatis. Iam de Hypotheticis ſyllogiſmis, quoad fieri poteſt, breuiſsime tractabimus, ne nimijs inuolucris lectorem detineamus.

TRACTATVS DE SYLLOGISMIS HYPOTHETICIS.

Istud in primis animaduerſum, & penitus perſpectum eſſe debet, iudicium ſyllogiſmorum hypotheticorum petendum eſſe non tam ex forma, quàm ex materia: atque diligenter ſpectandum eſſe, quatenus conueniat partibus primæ propoſitionis inter ſe (quæ fere ſemper eſt hypothetica) num altera alterius ſit cauſſa, aut effectus, num pugnent, num à genere ad ſpeciem, uel à ſpecie ad genus trahatur argumentum. breuiter, in his locorum regulæ ſunt obſeruandæ.

Canones ſyllogiſmorum conditionalium.

Primus.

Quoties loco maioris ponitur conditionalis affirmatiua, cuius antecedens in minore affirmatiuè adſumitur, & conſequens uiciſsim affirmatiuè infertur, efficax eſt argumentum: ut, Si iuſtitia eſt expetenda, uirtus eſt expetenda: atqui iuſtitia eſt expetenda, igitur uirtus eſt expeten

petenda. In minore certò & firmuter adſeritur, quod in maiore ob conditionem dubiè exprimi uidebatur. Hæc regula à recentioribus ſolet exprimu hoc modo: A' tota conditionali cum poſitione antecedentis ad poſitionem conſequentis eſt conſequentia ualida, ſed non contrà. Non ſequitur, Si iuſtitia eſt, uirtus eſt: Atqui uirtus eſt, igitur iuſtitia eſt. Poteſt enim eſſe Liberalitatis uirtus, non exiſtente iuſtitia. Id tamen locum non habet in conuertibilibus, quæ mutuo ſeſe inferunt. Ea enim eſt conuertibiliũ natura, ut de ſe mutuo uniuerſum (ut illorum more loquamur) uerificentur. Nam rectè ſequitur, Si homo eſt, riſibile eſt: atqui riſibile eſt, igitur homo eſt.

Secundus.

Quoties loco maioris ponitur conditionalis affirmatiua, cuius conſequens in minore uniuerſaliter, & negatiuè adſumitur, & antecedens uiciſſim negatiuè infertur, tum ualidum eſt argumentum: idq; dum illa conditionalis non conflatur ex uocibus inter ſe conuertibilibus, ut iam diximus. Rectè colligitur, Si iuſtitia eſt, uirtus eſt: atqui nulla uirtus eſt, igitur iuſtitia non eſt. Hæc regula à Dialecticis ſic quoque effertur: A' tota cõditionali cum deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis eſt bona conſequentia, ſed non contrà. Non ſequitur, Si iuſtitia eſt, uirtus eſt: atqui iuſtitia non eſt, ergo nulla uirtus eſt.

Obſeruatio.

Attamen extra uoces conuertibiles, cautio in hoc canone adhibenda eſt. Quando enim non eſt neceſſaria, ſed ſolùm contingens connexio antecedentis ad conſequens, tum

tum non eſt opus, ut negato conſequente negetur antecedens: imò potius contrà, ut negato antecedente negetur conſequens. Exempli gratia: *Rectè ſequitur, Si animal eſt, quod procul ad nos accedit, poteſt contingere ut ſit equus: igitur ſi nullum animal eſt, neq; ut equus ſit contingere poteſt.*

Tertius.

Quoties conditionalis negatiuè, quæ ex repugnantibus aut contrarijs conſtat partibus, adſumitur affirmatiuè antecedens, ut conſequens tollatur, hoc pacto, Non *ſi homo eſt, animal non eſt:* Atqui *homo eſt: animal igitur eſt. Significat autem huiuſmodi negatiua propoſitio, omnino fieri non poſſe, ut conſequens non ſit, ſi antecedens eſt. unde & concluſionem neceſſario ſemper inferri demonſtrat.* Hunc *tertium modum* Boëthius *à repugnantibus, primum ab antecedentibus, ſecundum à conſequẽtibus uocat.* Pugnantia *& cõtraria hic & in diſiunctiuis uocamus, quæ ita ſibi aduerſantur, ut negato uno, affirmetur alterum, & affirmato uno, negetur alterum: ut ſint contraria immediata, priuatiua & contradictoria.* Negatiua *conditionalis eſt, quando cõiunctioni præponitur negatio: ut,* Non *ſi homo eſt, doctus eſt. cuius hic ſenſus eſt:* Non *conſequitur, ſi homo eſt, doctus eſt. Affirmatiua eſt, quando coniunctioni (quæ dicitur principalis copula) non adhæret à fronte negatio:* Alioqui *nihil obſiſtit, inter partes conditionalis negationem unam aut duas interſertas eſſe, ut tamen affirmatiua dicatur.* Veluti *ſi animal non eſt, homo non eſt.* Id *quoque de reliquis hypotheticis cenſendum eſt.* Hæc *eſt negatiua,* Non *aut*

dies

dies eſt aut lux eſt. Non & dies eſt & nox eſt.

Canones Syllogiſmorum diſiunctiuorum qui ex repugnantibus conſtant.

Primus.

Quoties à diſiunctiua affirmatiua cum poſitione partis unius ad deſtructionem alterius proceditur, eſt robuſtum argumentum. Vt, Vel dies eſt, uel nox eſt, Dies eſt, igitur nox non eſt: Item, Nox eſt, igitur dies non eſt.

Secundus.

Quoties à diſiunctiua affirmatiua proceditur cum deſtructione unius partis ad poſitionem alterius, eſt bona cõſequutio. Vt, Dies eſt, aut nox eſt, Dies nõ eſt, igitur nox eſt. Item, Nox non eſt, igitur dies eſt.

Ratio horum duorum modorum, quoniam iuxta uſum antiquorum & probatorum autorum propoſitio, quæ propriè diſiunctiua eſt, ſic ponit alteram partem, ut alteram neget: & ita alteram negat, ut alteram ponat, nec admittat ſimul utriuſque ueritatem, aut ſimul utriuſq; falſitatem: quemadmodũ teſtatur Boëthius libro quinto ſuorum commentariorum in Topica Ciceronis, & Cicero eodem in loco. Vnde cùm ambæ partes ſic inter ſe pugnant, ut ſimul ueræ uel falſæ eſſe nequeant, ultro citroq; affirmando negando'que ad certam conſequutionem rediguntur; & ab unius partis poſitione rectè infertur alterius deſtructio, & econtrario: quemadmodum ex Boëthio diſiunctiuarum formas non grauabor ſubiungere, ut tanquam in tabula cõſpiciant ſtudioſi, quomodo in diſiunctiuis ex repugnantibus conflatis ratiocinari liceat. Nã hæ ſolæ propriam diſiunctionis uim obtinent: præter has autem

autem reliquæ externam diſiunctionis faciem duntaxat referunt, ut ille, in quibus recentiores adſerunt, unius partis ueritatem ſufficere ad totius diſiunctiuæ ueritatem. Sicuti hæc eſt uera, Homo *eſt lapis, aut homo eſt animal.* De *his nullus hic futurus eſt ſermo.*

Formæ diſiunctiuæ, cuius partes ambæ negatione carent.

Aut ſanus eſt, aut ægrotus: Atqui ſanus eſt, igitur non eſt ægrotus. Vel ſic aſſumitur, Atqui ægrotus eſt, igitur non eſt ſanus. Vel ſic, Atqui ſanus nõ eſt, igitur eſt ægrotus. Vel ſic, Atqui ægrotus non eſt, igitur eſt ſanus.

Formæ diſiunctiuæ, cuius utraque pars negatur.

Aut non eſt ſanus, aut non eſt ægrotus: Atqui non eſt ſanus, ergo eſt ægrotus. Vel ſic, Atqui ægrotus non eſt, igitur eſt ſanus. Vel ſic, Atqui ſanus eſt, igitur non eſt ægrotus. Vel ſic, Atqui ægrotus eſt, igitur non eſt ſanus.

Obſeruatio.

Perpende has duas primas propoſitionum diſiunctiuarum formas ex repugnantibus immediatis fieri, tertiam formam & quartam naſci ex terminis cõuertibilibus, quorum alter tantum in diſiunctiuæ aut priore parte aut poſteriore cum negatione ſumitur.

Formæ diſiunctiuæ, cuius poſterior pars tantum negatur, prior non.

Aut homo eſt, aut animal rationale non eſt, Atqui homo eſt, ergo animal rationale eſt. Vel ſic, Atqui animal rationale non eſt, igitur homo non eſt. Vel ſic, Atqui homo non eſt, igitur animal rationale non eſt. Vel ſic,

Atqui animal rationale eſt, igitur homo eſt.

Formæ diſiunctiuæ, cuius prior pars negatur, poſterior minime.

Aut uirtus non eſt, aut habitus bonus eſt: Atqui uirtus non eſt, igitur neq; habitus bonus eſt. Vel ſic, Atqui habitus bonus eſt, igitur uirtus eſt. Vel ſic, Atqui uirtus eſt, igitur habitus bonus eſt. Vel ſic, Atqui habitus bonus nõ eſt, igitur neq; uirtus eſt.

Admonitio.

Hi argumẽtandi modi uim habent non ex forma, ſed ex materia, hoc eſt, ex partibus, è quibus diſiunctiuæ propoſitiones conſtituuntur. Nam nihil roboris habituri ſunt eiuſmodi conſequutiones, niſi hypothetica conſtet, ut dictum eſt, ex talibus repugnantibus, ut poſito uno, interimatur alterum, & uno interempto, alterum ponatur. Quare non ſequitur, Aut albus eſt, aut niger: atqui nõ eſt albus, ergo eſt niger. Poteſt enim eſſe rufus.

DE SYLLOGISMO EX COPVLATIVA NEGATIVA.

COPVLATIVA *negatiua ex partibus immediate repugnantibus, quemadmodum de diſiunctiua ſuperius diximus, conſtituta, æquipollet diſiunctiuæ affirmatiuæ, ex eiſdem partibus, ſed ſibi contradicentibus conflatæ. Verbi cauſſa, hæc copulatiua, Nõ dies eſt, & nox eſt: æquiualet huic diſiunctiuæ, Aut non eſt dies, aut non eſt nox. Copulatiua enim hunc ſenſum habet. Non ſequitur, dies eſt & ſimul eſt nox, quæ huic correſpondet, aut non eſt dies, aut non eſt nox. Quare ſi copulatiua negatiua eſt uera, diſiunctiua de partibus cõtradicentibus eſt uera, & edi*

& ediuerſo. In *copulatiuis negatis rectè argumentamur à tota copulatiua negata cum affirmatione unius partis ad negationẽ alterius, & ediuerſo.* Nec *mirum:* Quandoquidem *hæ conſequutiones idcirco ratæ ſunt, quòd ut in diſiunctione, ita in copulatiuis negatis, plus uno uerum eſſe non poteſt.* Vnde *formas copulatiuarum harum ſubiungere non pigebit.*

Formæ copulatiuæ negatiuæ, cuius utraq; pars affirmatur.

Non *& dies eſt, & nox eſt:* Atqui *eſt dies, igitur nox non eſt.* Vel *ſic,* Atqui *nox eſt, igitur dies non eſt.*

Formæ copulatiuæ negatiuæ; cuius utraq; pars negatur.

Non *& dies non eſt; & nox non eſt:* Atqui *dies non eſt, igitur eſt nox.* Vel *ſic,* Atqui *nox non eſt, igitur eſt dies.*

Formæ copulatiuæ negatiuæ, cuius prior pars tantum negatur.

Non *& homo non eſt, & riſibile eſt:* Atqui *homo non eſt, igitur neque riſibile eſt.* Vel *ſic,* Atqui *riſibile eſt, igitur homo eſt.*

Formæ copulatiuæ negatiuæ, cuius poſterior pars tantum negatur.

Non *& homo eſt, & riſibile non eſt;* Atqui *homo eſt, igitur & riſibile.* Vel *ſic,* Atqui *riſibile non eſt, ergo neq; homo eſt.*

Canones his formis diſiunctiuæ & copulatiuæ accommodi.

Affirmata priore parte negatur poſterior. Affirmata poſter

poſteriori parte, negatur prior. Negata priori parte, affirmatur poſterior. Negata poſteriori parte, affirmatur prior.

Alias conſequentiæ formas uulgò ex copulatiuis eliciunt, quæ licet neceſſariæ ſint, quia eas non uideo admodum eſſe uſui, haud multum mihi commendantur. Vt *dum argumentantur, à tota copulatiua affirmata ad eius partem alteram: ut,* Deus *eſt immortalis, & homo eſt mortalis, ergo* Deus *eſt immortalis.* Ex *his fortaſſe ratiocinaberis, dum per has ex diſiunctis ad coniuncta procedes, de qua argumentandi ratione ſuprà diſcuſſum eſt in tractatu termini complexi & incomplexi, ubi ex duobus incomplexis coniunctione copulatis unus complexus terminus infertur, & ediuerſo. Hactenus de ſyllogiſmis tum* Categoricis *tum* Hypotheticis*: hortatur iam occaſio de* Locis *tractare.*

TRACTATVS DE LOCIS.

H*Aec* Dialecticæ *pars, quæ* Græcis *hominibus* τοπικὴ, Latinis Localis *dicitur, non mediocre præſtat adiumentum ad inuentionem argumẽtorum. Siquidem (iuxta* Ciceronem *in* Topicis*) ſicut earum rerum, quæ abſconditæ ſunt, demonſtrato & notato loco facilis eſt inuentio: ſic cùm perueſtigare argumentum aliquod uolumus, locos noſſe debemus.* Non *immerito proinde reprehendendam exiſtimauit* Tullius Stoicorum *negligentiam, qui iudicandi uias diligenter perſequuti, inueniendi ar-*

tem, & uſu potiorē, & natura priorē, totam reliquerunt.

Definitio.

LOCVS, *apud* Rodolphum, *eſt communis rei nota, cuius admonitu, quid in re quaque probabile ſit, facilime inueniri poteſt.* Vt Definitio, Genus, Cauſæ, *notæ ſunt, & ueluti ſigna, quibus admonemur in re quaq; explicanda ab eis ducenda eſſe argumenta.*

Diuiſio.

Locus {
- Internus.
- Externus.
- Medius.

Obſeruandum eſt, adſignari locos diuerſos iuxta diuerſam termini inferentis & termini illati habitudinem. Nam cum in propoſitione duæ ſint partes, Subiectū & Prædicatum, aliàs à ſubiecto trahuntur argumenta, aliàs à prædicato. Proinde occulatè perſpiciendum eſt, ubi à Subiectis, ubi à Prædicatis argumenta facilius duci poſſint. Nam id multum refert in omni diſputatione.

LOCVS *internus eſt, quando trahitur argumētum ab his, quæ de rei propoſitæ ſubſtantia exiſtunt, uel eam concomitantur.*

LOCVS *externus eſt cùm ducitur argumentum ab his, quæ ſunt extra rei ſubſtantiam.*

LOCVS *medius eſt cum argumentum ſumitur ab eo, quod partim conuenit rei, de qua quæritur, partim ei diſconuenit.*

Loci

LOCI INTERNI.

INTER *hos primus & præcipuus locus eſt à definitione, nimirum cùm per eam cuiuſque peculiaris natura explicetur.* E*a in grauibus controuerſijs inter reliqua ſummum tenet principatum, cum hinc neceſſaria argumẽta depromantur.*

Obſeruatio.

A\` *definitione argumentamur affirmatiuè & negatiuè, tum ex parte ſubiecti, tum prædicati.* V*t ſit quæſtio,* N*um uirtus ſit expetenda? ſic terminabitur:* H*abitus bonus eſt expetendus, igitur uirtus eſt expetenda.* I*llud obſerues, à termino inferente ſumi cuiuſcunq; loci appellationem.* T*erminus inferens eſt, qui tantum in antecedente poſitus eſt.* T*erminus illatus eſt, qui tantum ponitur in conſequente.* R*eliquum uerò terminum, qui & in antecedente ſimul & conſequente reperitur, terminum communicantem appellant.* V*erbi cauſa,* I*n ſupradicto argumento,* H*abitus bonus, eſt terminus inferens, & ob id eſt locus à definitione:* V*irtus, eſt terminus illatus:* E*xpetendus eſt communicans. Ducitur quoque argumentum à definito affirmatiuè & negatiuè ex parte utriuſque extremi: ut ſit quæſtio,* A*n habitus bonus ſit expetendus, ſic terminabitur:* V*irtus eſt expetenda, igitur & habitus bonus. Sub his comprehendimus omnes locos à conuertibilibus, ut à deſcriptione, à nominis interpretatione, à differentia, à propriore.*

Canones.

Cuicunque conuenit definitio, eidem & conuenit de-

 finitum

finitum, & contrà.

A' quo adimitur definitio, ab eodem & adimitur definitum, & contrà.

A' Genere.

Suprà in Prædicabilibus, ubi de genere & ſpecie egimus, meo quidem iudicio utcunq; tractatum eſt, quænam argumentandi ratio ex genere ſimul & ex ſpecie inueniri poſſet. Ideoq́; nihil de his impræſentiarum dicemus.

DE TOTO INTEGRO, ET EIVS PARTIBVS.

TOTVM *integrum, cùm ex compage multarum partium digeſtum ſit, ex his quaſdam habet partes, quas* ὁμογενῆς *Græci appellitant, Latini Similares uocare poſſunt: hoc eſt, quæ eiuſdem ſunt naturæ ac nominis cū ſuo toto, ut partes terræ, aquæ, ignis, aëris, &c. Quaſdam habet* ἑτερογενεῖς *à Græcis dictas, à noſtris Diſsimulares: hoc eſt, alterius naturæ ac appellationis, quàm ipſum totū: ut partes corporis humani, caput, ſcapulæ, uenter, brachia, pedes. Itaq; à toto ad partem ſimilarem ualet argumentum & affirmatiuum & negatiuum: Vt, Aqua eſt, igitur pars aquæ eſt: Item, Aqua non eſt, igitur pars aquæ non eſt. Rurſus à parte ſimilari ad totum ualet tum affirmatiuè tum negatiuè: Vt, Pars terræ eſt, igitur terra eſt. Sic, Pars terræ non eſt, igitur terra non eſt, conſequitur. Cæterum in toto, cuius partes ſunt diſsimulares & alterius atq; alterius generis, animaduertendum eſt, ipſius totius integri partes eſſe nonnullas, quæ nihil omnino faciunt*

ciunt ad neceſsitatem totius: ut pili in corpore humano: & quædam prorſus neceſſariæ, quibus ſublatis, iam continuo collabetur totius natura: ut caput, cor, pulmo, uel epar in homine, qui ſine illis uiuere nequit. Ad has partes neceſſarias firma ducuntur argumenta affirmatiua ab ipſo toto: ut recte colligitur, Homo ſuperſtes eſt, igitur & ipſius caput: domus eſt, ergo & fundamentum.

Canon.

Poſito toto integro, eius partes neceſſarias poni oportet. Ad reliquas partes aut ſuperuacuas aut non niſi ad ornamentum conferentes, non ſtabilia ducuntur affirmatiua argumenta ex toto. Non ſequitur, Homo eſt, igitur piloſus eſt. Pilis enim amiſsis ſupereſſe poteſt homo.

A' parte neceſſaria ad totum ipſum ualet argumentatio negatiue: ut, Tugurium non habet fundamentum, non eſt igitur domus. Secus eſt in partibus alijs ſuperfluis. Nõ rectè colligitur, In hac ſtructura non eſt uaporariũ, ergo hæc ſtructura non eſt domus.

DE LOCIS CAVSSARVM ET EFFECTVVM.

IN negocio omni præcipua cauſſas inquirendi debet eſſe cura, cùm, teſte Ariſtotele, Vnamquamq; rem cognoſcamus, dum eius cauſſas cognoſcimus. Cauſſam uocamus, cuius ui aliquid euenit. Et quatuor Ariſtoteles facit, Efficientẽ, Materialem, Formalem, ac Finalem. Efficiens appellatur, quæ efficiendæ rei operam præbet, ut artifex faciens domum uel nauim. Materialis, quæ

ueluti receptaculum eſt formarum. Formalis, *quæ efficit, ut hoc ſit, non aliud.* Velut *anima rationalis dat humano corpori ut ſit homo : & ipſa anima, quoniam ſubſtantia eſt, habet ſuam formam innominatam, per quam anima eſt, & non angelus.* Finalis *eſt, cuius gratia aliquid fit, ut felicitas, ad quam uirtutum actiones destinantur.* Habent *autem hunc inter ſe ordinem Cauſſæ, quòd finis, qui in euentu ultimus dicitur, in deliberatione primus, extimulat efficientem : efficiens à fine incitatus iam protinus explicat uim ſuam in opus.* Si *fuſe Cauſſas & per ſe, & per accidens intueri lubeat, Phyſices ſecũdum Ariſtotelis librum gnauiter euoluas.*

Ab Efficiente.

Ab efficiente negatiuum argumẽtum neceſſarium eſt: ut, Non *fuit architectus, igitur ædes non ſunt extructæ.* Affirmatiuum *non ſemper neceſſarium : ut, Si artifex ſit, opus proinde eſſe non ſequitur.*

A' Materia.

A' *Materia negatiuum quoque argumentum eſt ualidum: ut, ferrum non eſt, igitur neque gladius ferreus.* Affirmatiuum *reijcitur : ut, ferrũ eſt, igitur enſis ferreus eſt: nòn conſequitur.*

A' Forma.

A' Forma *tum affirmatiuum, tum negatiuum argumentum eſt firmum : ut, Si albedo eſt, album eſſe neceſſe eſt: ſi albedo non eſt, quî fieri poteſt, ut ſit album?*

A' Fine.

Finis *inter reliquas cauſſas principatum tenet.* Huic *cæteræ*

cæteræ ſubſeruiunt. Proinde eius curam neutiquam negligendam cenſeo, ut qui uniuſcuiuſque rei officium ſeu uſum oſtendat. Nihil enim & foris & domi ſuſcipitur, niſi ſine propoſito, qui ſuadet cõmodorum aut acquiſitionem, aut incrementum, aut confirmationem: quamuis multi errore deluſi, credunt hoc eſſe expetendum, quod fugitandum eſt maximè: ut adulter fœdam illam uoluptatem bonum aliquod eſſe iudicans, miſerè ſibijpſi imponit. Illud ignorandum non eſt, poſſe unius rei plures eſſe fines: ut, Lingua (teſte Ariſtotele lib. 11. de Anima) data eſt homini ad ſapores diſcernendos, atque etiam ad loquendi facultatem. Item natura fœminis dedit mammas ad uſum lactandi, tum etiam ad decorem corporis. Adde quòd fines ſuperiores finibus inferioribus ſemper ueniunt anteferendi: ut, Belli finis eſt uictoria, uictoriæ tranquillitas, tranquillitatis beata uita. Iſtud ultimum reliquis longe præſtat, cùm ad hoc illa omnia referantur. A` fine hoc modo ducuntur argumenta: Si finis cuiuſpiam rei proprius bonus eſt, idipſum quod ad hunc finem rectà ducit, bonum eſſe, neceſſe eſt: ut, ſi Beatitudo expetenda eſt, Virtutem, quæ huc perducit, expetendam eſſe quis negauerit? Si finis malus eſt, idipſum quod ad hunc rectà perducit, malum eſſe oportet: ut, quia extrema illa infelicitas modis omnibus eſt exhorreſcenda, deteſtanda ſunt uehementiſſime uitia omnia, quæ huc hominem præcipitem agunt.

AB EFFECTIBVS.

EFFECTVS ſunt, qui à cauſſis oriuntur, aut

neceſſarijs, ſine quibus effectus eſſe nequeunt: aut ſufficiẽtibus, quæ ſi abſint, fieri nõ poteſt, quin ponantur effecta. Proinde ab effectu ad cauſſam neceſſariam argumentum affirmatiuum ducitur : Gladius *ferreus eſt, ergo ferrũ eſt.* Nam *poſito effectu ponitur & eius neceßaria cauſſa.* C*æterum ab effectu ad cauſſam ſufficientem argumẽtum affirmatiuum non eſt perpetuo conſtans.* Non *rectè ſequitur,* Hic *interijt, igitur iugulatus eſt. Potuit aut morbo peſtifero, aut ueneno, aut quouis alio euentu fuiſſe enecatus.* N*egatiuum tamen conſtabit firmum: ut,* N*on interijt, ergo iugulatus non eſt.*

De cauſsis generales Canones. Primus.

Caußæ natura priores ſunt effectibus. N*eque te moueat ſi finis actionem ſequitur : in intentione enim actionem præcedit.*

Secundus.

V*nius eiuſdemq́; rei plures cauſſas per ſe eſſe contingit.* N*am æneæ ſtatuæ æs cauſſa eſt per ſe, pariter & ſtatuarius, non tamen eodem modo.* A*es enim cauſſa eſt ut materia, ſtatuarius ut efficiens.*

Tertius.

I*nterdum eadem cauſſa contrariorum eſt effectuum.* N*am ſol eodem calore indurat lutum, & liquefacit ceram.* I*d autem prouenit ob diſpoſitionem patientium.*

Quartus.

V*nius effectus in ſuo genere una propria eſt cauſſa: & contrà, unius caußæ unus per ſe & proprius effectus eſt*

ctus eſt:ut, foßio agri determinata eſt ad ſationem, aut arboris plantationem. Neque *obſtat, quod diximus, multorum effectuum unam eſse ſæpe cauſſam: & unius rei multas eſſe cauſſas. Siquidem id diuerſis rationibus accidere præfati ſumus.*

Quintus.

Vna cauſsa naturalis in eodem ſubiecto non poteſt producere contrarios effectus: ut, Ignis *non poteſt ſimul aquam calefacere & frigefacere.* Iſte *non refragatur tertio canoni. Illic diuerſa ſumuntur ſubiecta, hic unũ tantùm.*

Sextus.

Nihil prohibet cauſsas ſibi inuicem eſſe cauſſas: ut, Ambulatio *eſt cauſſa ſanitatis, & ſanitas cauſſa deambulationis, ratione tamen diuerſa: illa huius ut efficiens: hæc illius, ut finis.* Efficit *etenim ambulatio ſanitatem, ſanitatis uerò cupiditas ad ambulationem impellit.*

DE LOCO AB ANTECEDENTIBVS ET CONSEQVENTIBVS.

LOCIS *cauſſarum adijciũt* Rhetores *alium quendam locum* Antecedentium *& conſequentium, cuius quoque meminit* Ariſtoteles, *& ob idipſum hic neutiquam mihi prætereundus uidetur.* Vocamus *autem antecedentia, quæ rem quampiam neceßario aut ueriſimiliter præcedunt, ut curationẽ morbus, pugna uictoriam, conſuetudinem colloquia & congreſſus, partum concu-*

bitus, eruditionem indefeſſum ſtudium. Huiuſmodi *in quæſtione omni diligenter ſunt perpendenda.* Ducimus *autem argumenta à conſequenti ad antecedens neceſſaria affirmatione:ut,* Si *cinis relictus eſt, incendium præceſſit.* Si *ab apoſtolis hominibus peccata remittebantur, confeſſionem delicti antecedere oportuit.*

Canon.

Si conſequentia ſunt, quippiam præceſſiſſe neceſſe eſt.

Ab antecedentibus ad conſequentia infirmum eſt affirmatiuum argumentum:ut, Arbor *iſta floruit, ergo proferet fructum, non conſequitur.* Veriſimile *tamen eſt id futurum.* Nonnunquam *tamen affirmatiuè ualet, in his potiſſimum, in quibus connectuntur membra inter ſe neceſſariò cohærentia, qualia ſunt, quæ ex definitionibus ſumuntur, aut ex cauſſis, quæ nõ ceſſant:ut,* Sol *exoritur, igitur dies erit.* Sol *ad occubitum tendit, nox igitur inſtat.* Negatiuũ *argumentum fere ſemper eſt ſtabile:ut,* Error *non fuit, ergo nec pœnitentia.*

Canon.

Si prius non fuerit, ferè fit, ut poſterius non ſit futurum. Illud tamen meminerint ſtudioſi, quæ naturali ordine inter ſe referuntur, ut ſuperiora & inferiora, eum habere canonem, quem genus & ſpecies, de quo ſuprà loquuti ſumus.

DE LOCIS QVI AB VSIBVS, ET ITEM À GENERATIONE ET CORRVPTIONE DICVNTVR.

HI *loci non mediocrem habent uicinitatem cum locis* Cauſ

cis Cauſſarum, cum Generans, & Corrumpens uelut efficientia quædam ſint : Vſus uerò tanquam finis: cùm nihil ocioſi condiderit natura, uel ars peruestigauerit, quin ad certum quempiam uſum destinarit.

Ab Vſibus ſic argumentamur, Philoſophicos libros euoluere utile eſt, igitur Philoſophia eſt utilis. Contrà, Ludum alearum exercere damnoſum eſt, igitur ludus alearum eſt damnoſus. Nam maxima hæc traditur paſſim, Cuius uſus bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt: Cuius uerò uſus malus eſt, ipſum quoque malum eſt. Interim tamen hic cauendum moneo, ne Abuſum pro Vſu uſurpemus : quemadmodum nonnullos conſpicimus facere, qui ita argumentantur, Ebrietas eſt execranda, ergo uinum eſt execrandum : quando ſanè in hoc non eſt uini uſus, ſed culpa bibentis.

A Generatione hoc argumentamur modo: Scipionem Aphricanum natum fuiſſe, ciuitati Romanæ commodum fuit, ergo Scipio ipſe Romanis commodus fuit : Contrà uerò, Catilinam natũ fuiſſe ciuitati Romanæ obfuit, igitur Catilina ciuibus Romanis fuit noxius. Vulgò hæc maxima traditur, Cuius generatio, uel acquiſitio bona eſt, ipſum quoque bonum eſt: Cuius uerò generatio mala eſt, ipſum quoq; malum eſt.

A Corruptione uerò dum argumentum ſumitur, hoc eſt obſeruandum, ut prædicatum conſequentis oppoſitum ſit prædicato antecedentis : ut, Laruatam hæreticorum doctrinam refellere Chriſtianæ religioni profuturum eſt, ergo hæreticorum dogma fidei Chriſtianæ eſt noxium

noxium: Contrà uerò, Contemptio ſapientiæ infrugiferа eſt, ſapientia igitur eſt utilis. Regula enim eſt uulgaris, *Cuius corruptio eſt bona, ipſum eſt malum. Cuius uerò corruptio eſt mala, ipſum eſt bonum.*

DE LOCIS EXTERNIS.

Ab autoritate.

HVNC *locum* Boëthius *nominat à rei iudicio, quòd in eo ſumatur argumentum à iudicio ſapientum, quod de re quapiam tulerunt, quæ in diſputationem deducitur.* Cicero *uerò ab* Autoritate *eum uocat, qua appellatione & uulgò utuntur recentiores.* Hinc *tantùm affirmatiuum ducitur argumentum: ut,* Peritiſſimi Aſtrologi *iudicant præter firmamentum eſſe planetarum orbes ſeptem, ergo res ita ſeſe habet.* Iuxta *maximam* Topicam, *Quod omnibus, uel pluribus, uel ſapientibus hominibus uidetur, ei contradicere non oportet.* Huc *pertinent iudiciales loci à teſtibus, legibus, inſtitutis maiorum, & conſuetudine.*

A' ſimilibus.

SVB *ſimilibus licebit paria, maiora, minora complecti.* A' *pari huiuſmodi argumentum eſt:* Si *uobis locare turpe non eſt, nec nobis conducere.* Iuxta *regulam,* Aequa *paribus conueniunt.*

A' *maiore negatiuè tantum argumentamur, iuxta hunc canonem,* Si *id cuipiam non ineſt, quod ueriſimilius eſt illi debuiſſe ineſſe, neque & illud inerit, quod minus ineſſe*

uidetur

uidetur. Sic ratiocinatur Ioannes *in ſuis epiſtolis*: Qui *proximum non diligit, quem uidet,* Deum *quomodo diliget, quem non uidet?*

A Minore tantū affirmatiuum eſt argumentum, iuxta hanc maximam, Si id cuipiam ineſt, quod ueriſimilius eſt illi non debere ineſſe: quanto magis inerit illud, quod magis uidebitur ineſſe? Sic Paulus *ad* Roma. VIII. *ratiocinatur,* Deus *proprio ſuo filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donauit?*

A ſimili ſic ducitur argumentum: Circes *poculis homines ſubito transformabantur in feras, ſic affectus repente alium reddunt hominem. Valet ſimilitudo quam* Græci *uocant* ὁμοίωσιν, *non tam ad probandam conuincendamq́; rem, quàm ad docendum, & illuſtrandum. Quo fit, ut hinc argumenta admodum languida depromantur, præſertim cum nulla ſit ſimilitudo tam ſuis omnibus partibus quadrans, quin in ea quippiam reperiatur diſſentaneum. Quare in ore fere omnibus eſt hæc ſententia,* Omnis *ſimilitudo claudicat.*

Sub ſimilitudine non fuerit incommodum comprehendere locum à Proportione, *quæ eſt quædam habitudinis comparatio: ut,* Sicut *ſe habet oculus in capite, ita mens in anima. Sic argumentatur* Ariſtoteles *libro* I. Ethicorum.

De *locis oppoſitis ſuperius tractauimus, uti de multis alijs argumentationum generibus, ut ita ſenſim adſueſcant adoleſcentuli ad diſſerendi ſcientiam.*

De locis

DE LOCIS MEDIIS.

A' Coniugatis.

CONIVGATA *ſunt,ut* Rodolphi *uerbis utar, quæ cum re ſint eadem, ſola uocis inflectione à ſe diſtant: dicta hoc nomine, quaſi uocis ſimulitudine ſub unum iugum deuincta: ut, Sapiens, Sapienter, Sapientia. Ab his non ſeparamus caſus, quemadmodum nec* Cicero *in* To*picis*. *Hic locus* Fabio *uidetur non multum ad probationem habere momẽti, quòd ferè æque nota, uel ignota ſint coniugata. Vt ſi dicas, Si ager compaſcuus eſt, licet cõmpaſcere, coniugatio eſt: quoniam Compaſcuus & Compaſcere uoces ſunt ſibi cognatæ. Et ſi Philoſophus eſt ſapientiæ ſtudioſus, nihil aliud eſt philoſophari, quàm ſapientiæ dare operam.*

A' Diuiſione.

Illud hic admonendum, neminem unquàm aberraturum à recta iuxta diuiſionem argumentandi ratione, ſi exactè obſeruauerit leges, quas de diuiſione ſuprà præcepimus. Hinc bifariam licebit ratiocinari. In primis hoc modo, Si de quopiam prædicatur diuiſum, & membra diuidentia in antecedente omnia præter unum de eo negantur, id quod relictum eſt in concluſione affirmabitur de eodem. Verbi cauſſa: Animalium aliud ſanum, aliud ægrotum. Homo iſte eſt animal, & non eſt ægrotus, eſt igitur ſanus. Deinde hoc modo argumentabimur, Si procedamus ab affirmatione unius membrorum diuidentium de aliquo, ad negationem alterius, uel omnium aliorum de

eodem:ut, *Animalium aliud eſt ſanum, aliud ægrotũ*. Hoc *autem animal eſt ſanum, igitur non eſt ægrotum.*

TRACTATVS DE LOCIS SOPHISTICIS.

IVxta noſtra pollicita tractabimus iam ſummatim nonnulla, quæ ad pernoſcendos ſyllogiſmos litigioſos uidebuntur conducere. Ariſtoteles in Elenchis Fallacias *tradidit, hoc eſt, aliquot formas uitiorum, quæ ſæpe in argumentis occurrunt: nõ ut technas alijs ſtruamus (hoc alienum eſt à ueritatis defenſoribus) ſed ut aliorũ aſtus & imposturas facilius deprehendamus, & euitemus.*

Ariſtoteles duo facit genera Fallaciarum: *unum, quod fallaciam in dictione uocat, hoc eſt, ubi peccatum ex genere ſermonis naſcitur: alterum quod uocat fallaciam extra dictionẽ, hoc eſt, ubi uitium oritur ex rebus falſis aut male connexis.*

AEQVIVOCATIO.

Primam *fallaciam ſic appellat, ubi naſcitur uitium ex ambiguitate unius uocis: ut,*

Omnis canis eſt animal,
Sydus cœleſte eſt canis,
Ergo ſydus cœleſte eſt animal.

Reſponde, Nihil *cohæret in ſyllogiſmo, quia* Canis *non ſignificat idem in maiore & minore.* In *maiore ponitur pro cane, qui eſt animal: in minore pro ſtella illa torrente æſtiuis diebus.*

Amphi

AMPHIBOLOGIA.

Sicut æquiuocatio eſt in ſimplicibus uocibus, ſic amphibologia in oratione ambiguum ſenſum continente: ut, Aio te Aeacida Romanos uincere poſſe. Hæc oratio ſenſum habet dubium, an Pyrrhus uincet Romanos, an contrà Romani uincent Pyrrhum. Huc referri poſſunt & figuræ, ut allegoriæ, quibus fallimur citiſsimè, cùm non rectè applicentur.

COMPOSITIO, ET DIVISIO.

Tunc dicitur fallacia compoſitionis, quando à ſenſu diuiſo uero proceditur ad ſenſum compoſitum falſum: ut, Iuſtum poßibile eſt eſſe iniuſtum, igitur iuſtum eſſe iniuſtum eſt poßile. Senſus prioris: Is qui modo iuſtus eſt, fieri quandoque poteſt, ut ſit iniuſtus. Senſus conſequentis eſt: Fieri poteſt, ut quis ſimul & iuſtus ſit, & iniuſtus, quod mendaciſſimum eſt. Ex aduerſo, Fallacia diuiſionis eſt, quando à ſenſu compoſito uero proceditur ad ſenſum diuiſum falſum: ut, Impoßibile eſt iuſtum eſſe iniuſtum, ergo iuſtum impoßibile eſt eſſe iniuſtum. Sententia utriuſque explicari poteſt, quemadmodum in ſuperiori exemplo.

FIGVRA DICTIONIS.

À Figura dictionis captiones ſtruuntur, quoties argumentationem factam rectè ſe habere quis autumat, ſimilitudine uocis deceptus: ut ſi quis putet nomen Poëta eſſe generis fœminei propter conuenientiam in finali terminatione cum Muſa, & Lima.

Accen

ACCENTVS.

Accentus incauta animaduerſione ſæpenumero deludimur, idq́ue ſecũdum Ironiam:*ut cùm dicitur,* Egregiam *laudem refertis: ſubeſt ironicus ſenſus, perinde quaſi diceretur,* Nullam *reportatis laudem. Si quis intelligat illud aſſertiuè, hallucinabitur.*

FALLACIAE EXTRA DICTIONEM.

Ab accidente.

SEQVVNTVR *loci, qui extra dictionem dicti ſunt. Primus eſt fallacia accidentis. Is autem eſt (teſte Ariſtotele) per quem fiunt captiones, quoties ſimiliter quodcunq́ue exiſtimabitur rei & accidenti ineſſe: ut,* Hic *eſt albus, & eſt muſicus, igitur eſt albus muſicus.*

A' dicto Secundum quid, ad dictum Simpliciter.

Dictum Secundum quid, dicimus determinabile ſumptum cum determinatione diſtrahente, aut diminuente, aut alienante: ut, Aethiops dentibus albus eſt, igitur albus eſt.

Petitio principij,

Eſt, cùm incerta confirmantur, per ea, quæ perinde ſunt incerta: ut, Anima equi ſimul cum ipſius corpore interit, igitur anima aſini ſimul cum corpore extinguitur. De *anima unius æquè conſtat, quemadmodum de alterius anima. Pertinet huc* Nugatio, *quæ* Repetitio *eſt inutilis.*

Fallacia conſequentis,

Cum conſequens uidetur conuerti cum Anteceden=*te, & tamen non conuertitur: ut decipitur is qui ita ar=gumentatur,* Hoc *eſt animal, igitur eſt homo.* Non *enim ſequitur: licet ualet hoc modo,* Hoc *eſt homo, ergo eſt animal.*

Secundum Non cauſſam, ut Cauſſam.

Decipimur *ſæpe, cum* Cauſſas *citamus ad rem parum accommodas.* Non *conſequitur,* Ebrietas *eſt mala, ergo uinum eſt malum.* Vinum *enim non eſt proxima cauſſa ebrietatis, quin potius ingluuies immodicè bibentis.*

Fallacia ſecundum plures interro=gationes ut unam,

E*ſt, cùm ex una reſponſione ad plures interrogatio=nes, data, non rectè concluditur: ut ſi quis duobus oſten=ſis, altero cæco, altero uidente roget, an hi ſint uiden=tes, an cæci, & quiſpiam reſpondeat eſſe uidentes, tum continuo interrogans inferet, ergo cæcus iſte eſt uidens. Si autem reſponderit diſtinctè,* Hic *uidet, ille eſt cæcus: iam euaſit calumniam.*

IGNORATIO ELENCHI.

A*riſtoteles* Elench*um ait eſſe ſyllogyſmum cum con=cluſionis contradictione: ut hic paralogiſmus,* Socrates *pro hoc tempore docet, & pro illo alio tempore non do=cet, ergo* Socrates *ſimul docet & non docet.* Ariſtote=*les ait omnes inualidas probationes referendas ad igno=rantiam* Elench*i, quaſi ad cõmunem locum:* Nam ἔλεγχος *ſignificat firmam probationem:* ἐλέγχειν *forenſe uer=*

bum eſt

bum eſt, & ſignificat conuincere. Latinè *hæc fallacia, meo quidem iudicio, aptiſsimè diceretur* Cauillatio. Nam *hanc propemodum Græci uocāt* σόφισμα, *quæ uox alio= qui generaliter ſignificat uafrum commentum, uel uafre excogitatum.* Hactenus *de locis ſophiſticis: antea quàm tamen ſuprema manus operi imponatur de ſoluendi ra= tione nonnihil dicere, nequaquam infructuoſum fuerit.*

DE SOLVENDA ARGV= MENTATIONE.

RATIO *ſoluendi aut recto ductu ad* Rem *fertur, aut obliquo in* Perſonam *regeritur, quam uulgus* Diale= *cticorum ſolutionem ad hominem appellat.* Cùm *recta uia in rem tendit ſolutio, id fit duobus modis:* Aut *uitium eſt in forma argumenti, hoc eſt, aut conſequentia nihil ualet, tunc neganda eſt ipſa conſequentia:* Aut *uitium eſt in materia argumenti, ſeu rebus: tunc ſoluitur argumen= tum uel per inficiationem, ut quoties aliqua propoſitio= num ſumptarum eſt falſa: uel per diſtinctionem, ut quo= ties in propoſitionibus inuenitur aliqua* Aequiuocatio *uel* Amphibolia. Nam *ut uera ſuo iure ſunt tuenda, & falſa reijcienda, per interemptionem: ita ambigua per diſtinctionem ſunt diſſoluenda.* Porrò *ſolutiones, quæ non in* Rem, Sed *in* Perſonam *iaciuntur* Rodolphus *cenſet elabendi uerius, quàm ſoluendi eſſe rationes.* Ela= *bimur autem tribus ferè modis (ut idem doctiſsime ſcri= bit, cuius uerba hic ſubtexam) aut regerendo aliquid in aduerſarium: aut eleuando id, quod dictum eſt: aut à pro=*

poſito digrediendo. R*egerimus aliquid in aduerſarium: repetendo eum aquè firma argumentatione, quod tum in* Rem*, tum in* Perſonam *fieri poteſt.* In Rem*, ut cum æquè firma re illum urgemus, ac nobis intentata eſt: ut cùm* Cicero *pro* Cælio *obiectæ luxuriæ ſpem futuræ induſtriæ opponit.* Et Iuno *apud* Poëtam: Indignum *eſt* Italos Troiam *circundare flammis. indigniora regerit:* Quid *face* Troianos *atra uim ferre* Latinis, *&c.* In Perſonam*: cùm omiſſa re, qualiſcunq; ea ſit, contendimus ab aduerſarij perſona eam obijci non conuenire.* Vt *pro* Ligario *obijcitur* Tuberoni*, quòd in eadem cauſa fuerit, cuius* Ligarium *accuſet.* Et *in* Salluſtium*,* Quaſi *uero tu ſis ab illis uiris* Salluſti *ortus.* Sic Turnus *apud* Vergilium*, –*Méque *timoris* Argue *tu* Drance. Et Aeneas*, –*Tantúmq; *nefas patrio excidit ore.* Eleuamus *autem contemnendo rem, quæ obijcitur, & extenuãdo.* Vt Cælij *accuſationem* Cicero *uult iras & querelas animantium potius, quàm crimina uideri.* Digredimur*, cum à propoſito abducimus orationem, ut aduerſarij uitemus laqueum.* Qua *cautela* Cicero *in* Oratione *pro* Cælio *uſus uidetur, cùm diſputat de* Q. Metelli *morte, & ſuſpicione in* Clodium*.* Sed *quia hoc uariè fit, præceptis non facilè comprehendi poteſt.*

PERORATIO.

HAbes Dialectices Methodum *utcunque demonſtratam, ſcriptamq; (ita me* Deus *amet) ex tempore in medijs, quibus totus diſtringor, literariæ profeßionis occupatio*

cupationibus:idq́; ut importunis amicorum efflagitationibus morem gererem, quorum cauſa ſæpe uſu uenit, ut noſtri tanquam immemores cum ſummo famæ diſcrimine quæuis, uix etiam primam manum habentia, emittamus in uulgus: cuius expectationi tam difficile eſt facere ſatis, quàm uarijs palatis unicum condimentum attemperare. Vtut tamen fuerit, ſi hoc quicquid eſt operis lectori placiturum ſit, feliciter mihi iacta eſt alea: ſin minus, illud fortaßis efficiet, ut doctior & minus occupatus aliquis hoc exemplo prouocatus, id præſtet, quod nos præſtare uoluimus, proq́; ſylua proferat opus numeris omnibus abſolutũ. Nam fieri uix poteſt, ut quod tumultuariè & impræmeditatò ſcriptum eſt, delicatioribus auribus ſatiſfaciat. Si à longo tempore iſtud fuiſſet textum & retextum, forſan placuiſſet. Sed crede mihi, tantum in dies calamo mihi cõdendum fuerat, quãtum Chalcographus ſuis typis excudere ualuit. Quare ſi rem ipſam approbare minime fuerit in animo, conatum ſaltem & mei erga ſtudioſos animi propenſionem cõmendа, & amplecte re.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVGDVNI APVD SE-
BASTIANVM GRY-
PHIVM
ANNO
M. D. XXXXII.

150

J. Lorabis

P.

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO · ROMA ·
1921